AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS

OPERA

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS OPERA

VINCENTIVS LANFRANCHIVS
AD BODONIANAM EDITIONEM EXEGIT
VARIIS LECTIONIBVS
ATQVE ADNOTATIVNCVLIS ILLVSTRAVIT

ACCEDIT INDEX RERVM ET VERBORVM
LOCVPLETISSIMVS

Editio 2ª

VOLVMEN I

AVGVSTAE TAVRINORVM
EX OFFICINA SALESIANA
MCMIV

(N. 2041 — M)

VINCENTIVS LANFRANCHIVS
CAESARI CANTV V. CL.

S. P. D. (*)

Avrelii Clementis Prudentii opera, quae supersunt, ex officina Asceterii Salesiani editurus, parvum hunc laboris mei fructum in manus hominum venire ornatum commendatione tui nominis constitui. Tu enim, Vir Cl., hispani

(*) Dum hanc epistolam C. Cantù, inscriptam officinatori librario excudendam tipis consignarem, tantum virum, quocum mihi vetus necessitudo intercedebat, longos adhuc annos studiis suis, et christiani nominis decori victurum augurabam. Quanquam enim iam pridem fallente vestigio, domi in humum prolapsus diu decubuit, medici nihil sibi humanitus ex hoc casu eventurum confirmabant. Sed validus senex interdum sibi displicuisse aiebat; quumque VIII idus decembres ipsi nonagesimum diem natalem agenti omnia fausta feliciaque essem precatus, postridie eius diei amicus omnium facillimus, gratias mihi egit, sed litterulis vacillantibus et impexis, ut scribentis prolixam erga me voluntatem suam ostenderent, manuum ad officium invalidam. Quippe ἀτονία, uti graeci dicunt, morbus latenter ventriculo insiderat; corpusque vegetum vividumque, brevi torpidum atque enectum abire in ἀτροφίαν visum est. Adpropinquantem mortem placido vultu adspexit; sanctissimisque ritibus peractis atque indulgentia Leonis XIII P. M. omni admissorum poena exolutus, V idus mart. sub primum diem in suorum complexu, iam immortalitatis particeps, mortalitatem finierat.

auctoris praestantiam et interiores virtutes strictim, at verissimis coloribus prae ceteris recentioribus in tua historia litterarum latinarum expressisti, quam an. millesimo octingentesimo octavo et sexagesimo *E. Cauchy*, vir litteratissimus inter Gallos, insigni doctorum Collegio Parisino adprobavit. Accedit quod christiani poëtae versus omnium candidissimi medullitus amare te iam inde ab an. M.DCCC.LXXXIV penitus perspexi. Quum scilicet eo ipso anno Augustam Taurinorum advenisses, oculis intelligentibus collustraturus quiquid undique gentium esset in urbem missum ad mirificum scientiarum et bonarum artium in dies ascensum atque incrementum comprobandum, tu ad me pro tua facilitate atque humanitate invisere domum voluisti. Ibi de re civili, deque paulo elegantioribus studiis ultro citroque verbis habitis, — Ecquid, bóne, inquisti, labente hoc anno, quo in archigymnasio maximo Taurinensium Thomae Vallaurii, tui amicissimi, vicem sustines, post Claudianeam Proserpinam a Dite raptam, Prudentii lyrica adolescentibus enarrabis in tuam disciplinam itantibus? — Cui ipse rubore quodam suffusus, — Hispani poëtae, inquam, vix memorandi

locus erit, quum seriora Theodosii Honoriique tempora nos morabuntur. Ceterum nullus ignoras, vir doctissime, nostrum in contemptis iam diu habitum esse penes gloriosos aetatis, qua fruimur, philologos, quibus omnino Christiana sapientia sordet. — Ad haec tu subridens, - Magnum narras, non tibi impune licere auctorem proponere studiosis legendum, quem nescire, ne dum despicari partem barbariae duxerim vel in homine litterulis latinis leviter tincto. — Atqui sic habet, Caesar humanissime; quodque mireris scito, me ab hinc quattuor annos in crimen vocatum, quod in philosophia saeculi quinti post Christum natum quum habitarem, inter docendum laudes suas non inviderim S. Augustino, quem Aligherius et Petrarca mirabundi suspexerunt, a quo leges historiae humani generis universas B. Bossuetus hausit. — Hic vero tu mea verba stomachi plena, leniter molliendo, iterum ad Prudentii melica deflexisti; quo in sermone, tamquam in tuam provinciam ingressus, bene multa indicta aliis, insperata, bellissima omnia de piissimo poëta protulisti, quae mihi in memoria penitus insederunt. Ubi vero abeundi te hora instare

monuit, complexus me familiariter, Prudentii adornandi incensum studio reliquisti.

Promissi memor, quamquam serius ac destinaveram, en tibi Prudentium meum, immo tuum, Salesianis formis nitidius excusum, scripturae mendis, quoad eius fieri potuit, vacuum, atque adnotatiunculis in calce illustratum, quae omnem difficultatem tironibus eximant. Editionem prae ceteris describendam diligenter curavi, quae anno superioris saeculi octavo et octogesimo in vulgus prodiit Parmae, bodonianae artis lenociniis exornata, curante Iosepho Theolio, viro cum paucis erudito, qui unus italorum hispani poëtae sospitator est habendus. Quid vero in eo enarrando ipse praestiterim, tute videbis, sapientissime senex; sique industriam meam aequi bonique facias, voti reus Paulinum Nolanum, immortalem illum Decimi Ausonii Magni auditorem et amicum, quam primum habebis. Multum vale.

Dabam Augustae Taurinorum pridie cal. Ianuarias an. M.DCCC.XCIII.

ALVMNIS SACRI ORDINIS
DE PRVDENTIO EIVSQVE OPERIBVS
COMMENTARIOLVM CONCINNAVIT
VINC. LANFRANCHIVS
EQVES SILVESTRANVS

Inter christianos saeculi quinti poëtas principem locum obtinent Paulinus burdigalensis, ac Prudentius hispanus. De Paulino, Ausonii discipulo, cui a Nola cognomentum *Nolano* fuit, disseram, quum primum eius carmina in vulgus edam. Hic quam brevissime potero de Prudentio eiusque scriptis absolvam. In Hispania ortum an. post Christum natum CCC.XLVIII, Salia et Philippo consulibus, nos ipse docet in praefatione ad Καθημερινῶν hymnos; pueritiam vero imperante Iuliano transegisse eruitur ex Ἀποθεώσεως versu quadringentesimo quinquagesimo. Sed qua nam in urbe, alii alia. Qui eum Calagurrinum faciunt, in medium afferunt quae leguntur in Περὶ Στεφανῶν I, 116, et IV, 21. E contrario quos iuvat illum Tarraconensem traducere, ad hymnum VI confugiunt in honorem SS. martyrum Fructuosi, Tarraconensium

pontificis, Augurii Eulogiique, qui diaconatus ordine erant aucti; atque versum praesertim inculcant centesimum tertium et quadragesimum. Neque desunt qui Aurelium nostrum Caesaraugustae natum existiment ob id tantum, quod quoties in hymno quarto Περὶ Στεφανῶν Caesaraugustam memorat, Aragonensis ditionis caput, toties *suam* appellat. Et *suum* quidem S. Vincentium martyrem panxit in eo ipso carmine quarto, v. 97, et 101. Quum igitur S. Vincentius omnibus Coesaraugustanus pro esplorato habeatur, eius laudum praeconem Prudentium unam eandemque patriam nactum esse confirmant. His calculum adiiciunt ALDVS romanus, GISELINVS, VASAEVS, HOFMANNVS, CLERICVS, DVPINIVS, aliique complures. Nos rem in medium relinquentes, quae de nostro liceat verissime narrare reliqua prosequemur.

Christiano nomini vel a primis unguiculis astipulatus, et liberalioribus disciplinis, uti ingenuum adolescentem decebat, institutus, experrectum ingenium, atque ad omnia summa natum mature ostendit. Septimum et decimum annum habens, rhetorum scholas audivit, brevique dicendi arte peritus, declamitare, uti tum ferebant tempora, cum laude coepit. In huiuscemodi palaestra optimus quisque e grammatices ludis dimissus se se exercere con-

sueverat, propositaque causa, ad eam defendendam oppugnandamve accedere, vires et nervos intendere, id unum agere donec, adversario superato, ipse victor discederet. Vel postremis reipublicae temporibus umbratiles hasce exercitationes viguisse constat, in quibus studiosi « quemadmodum causa inferior dicendo fieri superior posset » testatur TVLLIVS in *Bruto* (1). Extincta vero libertate, statim post Asinium Pollionem declamandi studia tam longe lateque patuerunt, ut nulla gens paulo excultior esset, quin iuventuti scholas bene dicendi, uti aiebant, aperiret. Hinc illa Burdigalensium rhetorum cohors, quorum nomina versibus satis elegantibus ad posteros prorogavit AVSONIVS MAGNVS; hinc illa colluvies in dies crescens causidicorum in Gallia, in Africa, et penes ipsos Britannos, quos dente satyrico tangit Aquinas. Erant illae officinae litterarum et eloquentiae in primis, unde prodierunt S. Hieronymus, Lactantius, Salvianus, Orosius, Augustinus. Qui tamen, maximis ingeniis praediti, annis vitae melioribus ad sanctiores disciplinas conversi, cito a mendacibus coloribus in dicendo, atque a flosculis, si vel leviter excutiantur casuris abhorrentes, so-

(1) V. *Brutus,* sive *de Claris Oratoribus,* VIII.

phistarum praeceptiones, et licentiam in musis excolendis posthabuerunt, palam testati quot incommoda in mores publicos, ne dum in germanam eloquentiam e tam corrupto fonte manarent.

Ex rhetorum disciplina, quam modo memoravi, iter bonae spei hominibus adolescentibus sternebatur ad forum, ad opes, ad honores. In foro autem non iam de virtute tuenda, aut veritate exsplicanda agebatur, non pro honesto et iure certamen erat, unde innocentibus salus, reisque poena oriretur, sed pro victoria digladiabatur. Ibi orator vires suas periclitabatur, si posset mobilia vulgi studia continere aut inflammare, iudicum voluntatem transversam ferre, plane ut illi non rapi viderentur, sed sequi callidum oratorem. Quod Fabius, vir cetera probus, laudi vertit Tullio (1), at Prudentium post confirmatam aetatem poenituit fecisse. Nil igitur mirum, si septimum et quinquagesimum annum aetatis egressus, hymnis praefatus suis, moerore plenus scribere coactus fuerit, se iam senio vicinum nihil utile tanti spatio temporis egisse.

Aetas prima crepantibus
Flevit sub ferulis; mox docuit toga
Infectum vitiis falsa loqui, non sine crimine (2).

(1) V. *De Instit. Orator.* X, I, 108.

(2) V. Καθημερινῶν Praefatio, 7 et seqq.

Quum in causis dicendis magnam nominis famam esset adeptus, ad provinciarum administrationem non semel accessit, in quibus lustrandis, imperatoris nomine ius redderet civibus, ministros in officio contineret, reique publicae prospiceret. Militiam nostrum capessivisse patet, non eam quidem castrensem, quae in armis, expeditionibus aut sub pellibus exerceretur, sed quae *togata*, aut *palatina* vocabatur, quemadmodum legimus in Codicis Theodosiani libro sexto (1). Neque Consulatum ullum gessit, aut praeturam urbanam iniit, quod reperiunt docte magis quam vere et comminiscuntur nonnulli, inter quos Aldus romanus, Baronius, Giselinus, Caveus, Franciscus Victorius; sed honorificentissimis muneribus in aedibus palatinis nitide defunctus, dignitati officii satis quidem fecit, nihil autem rebus suis proficere quidquam pensi habuit; plane ut abeundi licentia impetrata, exauctoratus parce contenteque viveret, id unum conquestus, se egentibus suppetias, quas vellet, ferre non posse.

Post Theodosii mortem, res humanas aversatus, de reditu in patriam cogitavit, seque totum in litteris abdidit, quas adolescentulus cum fructu excoluerat; et musis, natura suffragante, in pri-

(1) V. *Cod. Theodos.* VI, tit. 37.

mis indulsit. Et quando amatoria plus aequo adolescentior tractaverat, quo malum otium castioribus versibus factitandis compensaret, in poësim sacram omnes curas cogitationesque contulit. Qua in re uti par oneri sibi imposito esset, non profanos tantum poëtas retractare, e quibus ars ducitur, pulcrique sensus acuitur, sed Sacra Volumina diurna nocturnaque manu evolvere, et in Ecclesiae Patribus consenescere studuit, doctus ut inter divinarum litterarum doctores facile haberetur. Illud vero animadversione dignum arbitror Prudentium, quum Christianorum historiam, antiquitates, doctrinasque interiores imbibisset, se se totum ad vitae sanctioris rationem composuisse, hoc insolabiliter dolens, se florenti aetatula a recto tramite aberravisse. Quapropter ubi primum ex itineribus domi sibi commorari libuit, mortalium rerum illecebris abdicatis, liber nulloque civili officiorum genere devinctus, aedes suas perinde in monasterii formam convertit; coenobiticae vitae sibi leges constituit, atque diei horas noctibus coniungens omne tempus in Deo adorando partiebatur, dum feriis esurialibus, Christianorum more, uti illa tempora hortabantur, corpus subiiceret. Scimus domesticam hanc secessionem, quam alcioneam quietem quis dixerit, turbatam

primo fuisse, atque Prudentium ab imperatore Honorio Romam Ravennamque accitum fuisse; sed brevi in patriam remigrans, totam pietati exolendae, litterisque sacris operam suam navavit. Auctor est HEINSIVS nostrum tandem exoptatam quietem nactum, hymnos et poëmatia iam in vulgus dispersa ad se revocasse, et incudi diligentius reddidisse, bene multis additis carminibus limae labore edolatis. Quo anno, quaque in urbe vitam compleverit, studiis litterarum pietatique Christianae insumptam, parum compertum habemus.

Eius opera, quae temporis iniuriam evaserunt, in eundem ordinem digessi, quem ab HEINSIO Iosephus Theolius, nobilis bodonianae editionis auctor, descripsit. Et primum omnium Καθημερινῶν liber occurrit, duodecim hymnis constans, qui versus continent, in variis diei partibus, et quibusdam festis canendos.

II. Sequitur liber Περὶ Στεφανῶν, seu *de Coronis;* qui quatuordecim hymnos amplectitur, ubi sanctorum martyrum certamina et triumphi versibus plerumque iambis et trochaeis peraguntur. Hoc poëmate, cui manum admovisse existimo post suum ex urbe Roma in patriam reditum, praecipuam laudem sibi fecisse nostrum doctiores consentiunt.

III. Librum *De Coronis* excipit Ἀποθέωσις seu *Divinitas*, carmine heroico perscripta contra Patripassianos et Sabellianos, in quo libro falsas opiniones, erroresque in Deum Patrem, eiusque Filium, generis humani redemptorem depellit, qui iam multos mortales a germana Christianorum doctrina tunc temporis devios ageret.

IV. In omnibus fere codicibus Ἀποθέωσει adtexitur Ἁμαρτιγένεια, quae in peccati originem inquirit. Hanc Prudentii opellam mediam inter Ἀποθέωσιν ac Ψυχομαχίαν posuimus, Nicolaum Heinsium secuti, qui uti notat Ios. Theolius, « pluribus et praestantioris notae codicibus consultis, aliorum omnium in edendo Prudentio curam diligentiamque superavit. »

V. *Psychomachia*, id est pugna animi, quam nos Italice proprie interpretari possemus *Combattimento spirituale*, in Giseliniana recensione, Parisiis edita an. M.D.LXII, omnibus praemittitur prudentianis carminibus. Magni equidem faciendum didacticon hoc poëmation, quod prosopographiam virtutum vitiorumque ob oculos verissimis coloribus nobis obiicit, inter se acriter concertantium. Pugnam nempe spectamus eam, quam quisque nostrum in nobis metipsis saepius exardescentem experimur, cuius causam et originem quaerens

Catullus neque inveniens, moerore maceratus olim aiebat:

Odi et amo. Quare id faciam fortasse requiris
Nescio; sed fieri sentio et excrucior (1).

VI. Post interiorem rationis luctam cum impotentioribus animi cupiditatibus, unde magna vis conscientae in utramque partem exoritur, ecce nobis duo insignes illos libros contra Q. Aurelium Symmachum, urbis praefectum, qui, votis quorundam Romanorum obsecutus, Augustis Valentiniano Theodosio et Arcadio auctor fuerat, uti Victoriae aram repararent, antiquatis Vestalium privilegiis consulerent, neglectasque ceteras deorum religiones in pristinam dignitatem restituerent.

VII. Numerum poëmatum prudentianorum explet *Dipticon utriusque Testamenti.* Libellum sine controversia e Prudentii ingenio profectum GISELINVS inscribit: « *Aurelii Prudentii V. Cl. in* Ἐγχειρίδιον *novi et veteris Instrumenti* »; Estque libellulus versibus tetrasticis exametris compositus, in duasque partes divisus, quarum prior Veteris Testamenti historiam capitulatim continet, altera res notatu dignas Novi Testamenti carptim exponit.

(1) CATVLL. Carm. LXXXV.

In Prudentii carmine multi doctrina praestati viri qualibet aetate animum adiunxere. Eos praecipuos nosse licebit, praesertim quum in adnotatiunculis editioni nostrae adpositis eorum nomina et auctoritatem in medium proferre habuerim necesse. In his IOANNES WEITZIVS et NICOLAVS HEINSIVS primas obtinent; qui incredibili diligentia usi in restituenda poëtae lectione ad fidem codicum manuscriptorum miram lucem ei attulerunt. Istiusmodi philologos quis forte comparaverit ex vetustioribus Crateti illi Malloti, Aristarchi aequali, aut C. Octavio Lampadioni et Q. Varganteio, quibus magistris Romani usi accurate musas romuleas retractare, atque legendo commentandoque aliis etiam notiora facere didicerunt. Nisi forte eos dixeris persimiles recentiorum Manutii Politiani, Mureti aliorumque, quibus acceptam referimus classicorum Romanorum tutam magis frugiferamque lectionem. Et Ioannes quidem Weitzius ad manus innumeros codices habuit, in quibus Widmanum, Bongarsianum, Egmondanum, Heilbronensem, Fuldensem, Goldastianum, Erfurtensem, atque unum e Palatinis. Inter quos magni faciendum esse Egmondanum ait Nicolaus Heinsius, qui se totum excussisse profitetur quum Prudentii editioni incumberet, quam pubblicavit an.

M.DC.LXVII. Qua in editione adornanda insuper usus est Bodleiano, Rottendorphio, Nomsiano, Puteano, Thuaneo, Ambrosiano, duobus Boherianis, aliisque septem codicc. mss. minoris momenti. Ex eis vero, quae identidem commemoro in adnotatiunculis editionis meae, praestantissimi habentur Puteanus et Ambrosianus, quamquam mutili oppido sunt et detruncati. Ambrosianus scilicet saeculo VII, vel VIII adscribit Bernardus Montfauconus; sed Puteanus ad poëtae ipsius aetatem referri potest.

Haec raptim adnotavi de potioribus duobus his philologis, qui Prudentio insignem industriam posuerunt, eiusque pios manes, ut ita dicam, demeriti sunt. Paucula hic subiiciam de multis editionibus, quae bodonianam, eandemque italicam editionem antecesserunt, quam nos secuti sumus. Etenim ubi primum ars Guttembergia longe lateque patuit, carmina Prudentii, praesertim lyrica, quae manu exarata per Italiam, citraque alpes et maria cupidissime legerentur, novis formis describi edique in vulgus coepta sunt. Omnium autem antiquissima editio ea censetur, quae Daventriae in Batavis prodiit an M.CCCC.LXXII ex officina Rich. Paffroedi, in-4° (1). De qua nihil compertum habuit

(1) V. *Manuel du libraire et de l'amateur de livres*, etc. Bruxelles Chez P. I. De Mat. 1821. Item *Dictionaire Biblio-*

Aldus romanus, qui in epistola ad Danielem Clarium Parm. gloriatus est se primum ex omnibus ad fidem castigata vetustissimorum codicum Prudentii carmina publicasse Venetiis an. M. D. I, formis parvis ac rutundioribus. Duae aut tres editiones Aldinae dicuntur sub ea tempora excusae, inter quas una cum Sedulii, Aratoris versibus, atque Prosperi Tiri aquitanici epigrammatis. Post Aldinas an. M.D.XII editio occurrit Lucroniensis hispana, de qua Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispanica (1), in publicum data Aelii Antonii Nebrissensis cura. Quindecim annis post Basileae in lucem prodierunt Prudentii Opera in-8° ex officina Cratandri cum nonnullis scholiis, parvi equidem momenti, auctore Ioanne Sichardo. Anno vero M.D.LXII eadem forma excusa reperiuntur typis Henrici Petri cum adnotationibus quum eiusdem Sichardi, tum Iacobi Spigelii et Erasmi. Qui equidem iam Lugduni an. M. D.LIII volumen ediderat Prudentianum, scholiis suis additis et Sichardianis. In hac editione Spigelius tantum hymnum Καθημερινῶν nonum enarravit; Erasmus autem in duobus postremis Καθημερινῶν hymnis criticum acumen exercuit.

graphique, Historique et critique des livres rares etc. Paris, 1802. — An. X.

(1) Tom. 1, 104.

Melior tamen Erasmus est enarrator Spigelio, qui satietatem parit lectori ob infinitas observationes, et ostentationem acuminis, quod, ut nimis tenue, interdum retunditur et in se replicatur. Albertus Fabricius in sua Bibliotheca Latina editionem percenset cum commentariis Aelii Antonii Nebrissensis, quem supra memoravi; quae editio impressa est an. M.D.XL. Hic autem Iosephus Theolius duas editiones nominat (1), quarum alteram ait Martini Caesaris typis esse excusam an. M.D.XXXVI in-8, quae in bibliotheca Collegii Romani asservaretur; alteram prodiisse contendit an. M.D.XLVI; eamque Belius in suo *Lexico* testatur se possedisse.

Sed memorabilia se se nobis offerunt « *Aurelii Prudentii Clementis Viri Consularis Opera a Victore Giselino correcta et annotationibus illustrata* ». Editio Giseliniana in-8 prodiit Parisiis ex officina Hieronymi Marneffii an. M.D.XII (2). Decem codicibus innixus Giselinus editionem suam adgressus, dedicavit Hippolyto Atestino, patri purpurato, munifico bonarum artium sospitatori. Hanc editionem plus semel oculis meis subiieci uti bodonianum textum identidem recognoscerem; sed brevi animadverti negligentius excusam, ma-

(1) Praef. C. V., pag. 58.

(2) Apud Hieronymum de Marnef sub signo Pelicani, monte D. Hilary cum privilegio 1562.

culisque haud minimis notatam. Nihil mirum igitur si vel ipse editor tres et viginti scripturae mendis in prima editione expunctis, laboribus adiutus optimorum philologorum alteram Prudentii editionem publici iuris fecerit Antuerpiae an. M.D.LXIV pariter in-8, adiectis in calce voluminis interpretationibus Erasmianis, quas supra narravi. Hisce duabus editionibus publicatis, alias duas mole minores Giselinus adornavit, quarum altera Parisiis prodiit an. M.D.LXVI; altera Lugduni in Batavis an. M.D.XCVI, quae tamen nihil observatione dignum praesefert. Neque aliter ferme dicendum de Prudentio illo, qui una cum aliis quibusdam poëtis christianis impressus est Basileae typis Ioannis Oporini in-8. an. M.D.LXIV: tum de poëtae nostri Carminibus Calari apud Sardoas evulgatis ex officina Vincentii Sembenii an. M.D.LXXIV in-8°.

Hactenus editiones vidimus, quae religiosorum pietati facere satis viderentur, non tamen eae essent, quibus paullo cultiores adquiescerent. Ecce autem nobis Ioannem Weitzium, qui elapso amplius saeculo magnam sui nominis famam inter eruditos viros reliquit. Qui ad Prudentium animo et cogitatione latus, complures codices diu multumque evolvit, castigationes accurate contulit; quidquid

de hispano poëta esset alicubi perscriptum ad usus suos convertit; et tandem an. M.DC. XIII Hannoviae typis Wechelianis in-8° editonem suam evulgavit; in qua etiamsi multa peccasse animadvertat Heinsius, at ex illa veluti densa rerum sylva multa ad Prudentium illustrandum quispiam eruerit. Post Weitzium poëtae nostri opera sine adnotationibus Antuerpiae in-24 sunt publicata an. M.DC. X; tum Amstelodami an. M.DC.XXXI in-12°, atque Lunebii eadem voluminis forma an. M.DC. XLVIII. Castigatior tamen et nitidiusculus Prudentius in publicum datus est Amstelodami ex officina Danielis Elzevirii an. M.DC.LXVII in-12°, curante Nicolao Heinsio. Hic prae ceteris omnibus aetatis suae vir sine controversia doctrina et optimarum artium studiis eruditus, quique latinae linguae non oras tantum, ut ita dicam, sed regiones omnes peragrasset, multosque annos in romanis antiquitatibus habitasset, Prudentii musis faculam admovere, omnesque auctoris abditas pulcritudines commonstrare poterat. Heinsianas editiones duas scimus esse vulgatas, alteram an. M.DC.LXX, de qua Morerus loquitur in suo *Lexico;* alteram vero Coloniae an. M.DCCI in-8°, Isonii atque Nebrissensis adnotationibus ditatam; haud magni tamen faciendam.

Neque praeteribo editionem illam ad usum *Delphini*, seu regis Gallorum destinati, Parisiis excusam in 4° an. M.DC.LXXXVII, Stephano Chamillardo auctore (1), de quo adeundus Albertus Fabricius in Bibliotheca sua Latina. Satis tamen hic habeo adnotasse, editorem Parisinum, quo magis ad captum discentis sui aulici textum admoveret, auctoris versus, quod in talibus editionibus fieri consuevit, perpetua atque saepenumero otiosa paraphrasi explicuisse, subiectis in calce adnotationibus tralaticiis, parum idcirco aut nihil profuturis. Quod pace dixerim Alberti Fabricii, qui Chamillardianam industriam optimam prorsus omnium existimat.

Anno superioris saeculi tertio in lucem editus est Prudentius; posteaque eadem ipsa forma excusus prodiit Halae Magdeburgi an. M.DCC.XXXIX. in-8° studio et diligentia CHRISTOPHORI CELLARII, qui Heinsii lectioni insistens, non pensi quidquam duxit ullum codicem manu exaratum excutere. Adnotationes parce apposuit, eruditusque satis comparet; sed tamen, quum sinceram Christianorum doctrinam interdum videatur ignorare, aut potius refugere, a Prudentio est ubi

(1) *A. Prudentii Opera*, interpretatione et notis illustr. STEPH. CHAMILLART. ad usum Delphini. Parisiis 1687 in-4°.

dissentiat, eumque indocte doctissimum falsi taxare audeat. Quae res in causa est cur ipse in poëta enucleando, pro re natâ de Cellario lectorem benignum meum obtundam.

Ab Heinsio secundum IOSEPHVM THEOLIVM ceteris omnibus longe esse anteponendum existimo, qui in carminibus prudentianis expurgandis atque illustrandis operam diligentiamque contulerunt. Hic enim non codices tantum manu scriptos vidit. ad quos omnes ad suam aetatem philologi confugerant, sed Vaticanos etiam, antea sepositos, editionesque maioris momenti in editione sua adornanda inspexit. Theolii industria ita inscribitur: « *Aurelii Prudentii Clementis V. Cl. Opera omnia nunc primum cum codicibus Vaticanis collata, praefatione, variantibus lectionibus, notis, ac rerum verborumque indice locupletissimo aucta et illustrata.* » Editionem iamdiu expetitam Iosepho Nicolao Azarae Hispaniarum regis oratori cum liberis mandatis apud Summum Pontificem nuncupavit; utque primum omni librario cultu bodonianae illi pumici exculta an. M. DCC. LXXXVIII in-8°, in manus doctiorum venit, commodum editor minime se poenitendum laborem suscepisse intellexit. Ad me quod attinet, profiteor multum me debere tanto italo philologo,

a quo in stabilienda praesertim poëtae lectione perraro recessi. Optandum equidem foret, ut quae operoso et moloesto labore undique vir diligentissimus congesserat ad Prudentium illustrandum, non maligne dispensasset, sed ordinatim explicare omnia instituisset, eo stilo usus, qui vel implexas et asperas res emollire, et cum suis lectoribus communicare perspicue callidus quisque consuevit.

Veniam a te peto, candide lector, si te diutius detinui in editionibus prudentianis percensendis, quae ab exeunte saeculo XIV ad Ioannem Bapt. Bodonium, civem meum, temporis sui in arte guttembergia Roscium. sunt publicatae. Non enim eo animo id feci, ut saeculi consuetudini obsequerer, parabilem eruditionem eis venditaturus, qui talibus studiis semper plaudunt, sed uti facile intelligeres quanti quaque aetate noster a cultioribus quibusque sit habitus. Neque aliter res se habuit ante guttembergium inventum, amice lector. Saeculo quippe sexto et insequenti mundissima eius carmina haud aliter in scholis praelegebantur, ac elegantissimus quisque Romanorum; et per Europam princeps Christiani nominis poëta ferebatur. Saeculo autem undecimo Sanctus Bruno, Coloniae pontifex, vir perlitteratus inter Germanos, exemplar operum

Prudentii optime descriptum, in bibliothecis aedium sacrarum, quae sui iuris essent, proponi ad legendum iussit, uti Fridericus Ozanamus in Acroasi XVIII de poësi quinti saeculi Christiani animadvertit (1). Postea vero quam litterae politiores ab interitu revocatae sunt, omnisque elegantiorum disciplinarum cultus undique saeculo XV refloruit, Prudentio suus dignitatis locus est assignatus; atque una cum classicorum, quos vocamus, voluminibus hymni et poëmatia didactica hispani auctoris memoriter in scholis tenebantur.

At tamen brevi in calumniam incidit noster; quique inter docendum Tullium orandi artem, Horatium magistrum in versibus faciendis quotidie inculcabant, in hispano poëta naevos genitivos repererunt, e quibus equidem deformitatem, non venustatem aliquam eius opera concipere contenderent. Et critici primum nasutiores de incorrupta latinitate solliciti, quinque et septuaginta voces transverso obelo signarunt, quae nusquam in melioris notae scriptoribus occurrant; perinde quasi latini sermonis thesaurus, quantus quantus est, ad nos ex hereditate summorum scriptorum obvenerit,

(1) V. F. OZANAM: *La civiltà nel V secolo:* versione italiana sulla 4ª francese del Dottore Alessandro FABRE; Tip. Salesiana, 1892.

quorum libros prae manibus habemus. Atqui, quotidie, bone Deus! lapides litterati e terrae visceribus egeruntur, in quibus vocabula dictionesque insculptae leguntur patribus nostris invisae. Ceterum, ne longum faciam, graphicos istiusmodi Aristarchos mirari subit, qui omnem sanitatem romani eloquii intra circulum saeculi Augustei devinciunt, neque aliquid latine dictum, eleganter scriptum clamitant, quod in Tullii, Horatii Virgiliique scriptis non sit expiscatum. Etenim, Mureti verba ipsa hic praestat exscribere: « Ciceronis scriptorum vix decimam partem reliquam habemus, eamque multis partibus mancam ac mutilam, multis vulneribus, multis cicatricibus deformatam (1) ». Quid dicam Sallustium, cuius vix centesimam partem habemus? Quid Catonem, e cuius multis voluminibus unum « de Re Rustica » commentariolum superest ad filium? Quid Varronem, qui inter Latinos πολυγλώτατος fuit? cuius item de « Re Rustica », opusculum , et quaedam fragmenta « De Lingua Latina » inter sexcentos libros de variis rebus deperditos vix licet adhuc oculis nostris subiicere? Quot oratores, poëtas, historicos et iuris consultos nobis tempus invidit? Nihilo ta-

(1) V. *Var. Lect.* XV, 1.

men secius nos ex illis detruncatis atque laceris, quae ad nos pervenerunt, romanae linguae reliquiis, nos, inquam, audacter confirmare non veremur, si quid in eis minime reperiatur, id usitatum apud veteres non fuisse, non esse id civitate romana donandum, atque ad barbariam ultimam relegandum?

Neque solum violatae latinitatis Prudentium istiusmodi ὑπερκριτικοὶ cathedrarii culpant, at aliud telum in poëtam intendunt praeacutum, et aiunt illum identidem in versuum structura dormitasse, aut quantitatis regulas dedidicisse. Ad sexaginta vocabula proferunt, in quibus vocales breves producuntur, productae breviantur. Eas te nolo celare, benigne lector; earum immo elenchum habebis in fine editionis Asceterii Salesiani, quam tibi offero. Tu autem, qui aequam licentiam Lucretio, Virgilio, ipsique Horatio amice condonas in versibus pangendis, eandem vicissim dabis poëtae, qui ea tempestate floruerit, qua latinae litterae senectutem quandam concipere iam viderentur; et ne quantitatis normae in desuetudinem abirent, grammatici olim eas versibus praeceptivis inculcare in usum discentium consueverint; uti exemplo suo comprobarunt vel sub Dioclesiano Terentianus Maurus et Iuba ex Africa oriundi, deinde Marius Victo-

rinus atque Priscianus Caesariensis. Ceterum, hisce omissis, illud est animadvertendum bene multa fuisse vocabula ab oscitantibus amanuensibus in prudentiano textu inserta, commutata, e loco suo amota, aut foede corrupta, nulla metri habita ratione, quam noster, si Superis placet, magnae curae sibi fuisse ostendit, uti lectorem aperte monet hymno IV Περὶ Στεφανῶν v. 162.

Sed alia causa inerat, eaque potissima, cur hispani scriptoris carmina minus in oculis ferrent plerique saeculi XVI philologorum, quibus ab humanitate nomen obvenit. Hi videlicet, post longam barbariae noctem renatis litteris, in Graecos, in Latinos unice defixi, nihil nisi quod graecum esset, aut Romanum quaeritabant, cogitabant, comprobabant. Ubi quis eorum in aliquam litteratorum familiam cooptaretur, praenomen in primis, quod fuerat sibi ad Fontem salutaris lavacri impositum, ex veterum positione inflectere: Deum ipsum, latine scribentes, in Iovem; Dei Matrem immaculatam Virginem Mariam in Minervam; virgines Deo devotas in Vestales convertere; omnes ritus religiosos Christianorum, sacerdotia, caeremonias sacras cum superstitiosis romanorum religionibus, mutatis nominibus, permiscere studebant. Istiusmodi, neque tamen hordearii doctores, in quibus praeclare

agitur, si aliqua significatio virtutis Christianae subluceret, in scholis cum reliquis prosae et numeris adstrictae orationis auctoribus Prudentium nostrum reppererunt: scriptoris auctoritatem reveriti sunt; ingenium, studia, eruditionem, maximamque excogitandi vim poëtae senserunt: at tamen quisnam revera esset auctor istiusmodi hispanus, qui tamdiu in ludis scholasticis regnasset; quaenam eius ardens in Deum, in Beatos Caelites pietas minime intellexerunt. Quum autem Scevolam, Regulum, Cleliam, Virginiam, Lucretiam animas fortes, generosa pectora, heroas imitabiles declamitassent in auditoriis, eos minime movebant Passio Cassiani magistri a discipulorum graphiis pertossi; Romani martyris supplicium immane; Hippolytum equis in diversas partes concitatis discerptum; Laurentium martyrum principem et florem in ferventi crate praeustum ignorabant: neque equidem eos Agnetis et Eulaliae virginum castissimarum tormenta quidquam tetigerunt, quae pro Christi doctrina et formae venustatem, et opes ingentes, et generis antiquitatem nauci fecerant. Dum igitur intestinis periculis universum Christianorum nomen afflictaretur ob pravas de religione opiniones obortas, quaestio magna erat istis politioribus litterarum doctoribus, utrum scripto-

res catholicam sapientiam professi essent inter classicos adnumerandi; eosne deceret in scholis interpretari, an tutius foret omnes e puerili institutione submovere. Marcus Antonius Muretus, qui Romae liberaliora studia professus, iuventutem latina illa sententiarum gravitate, aptaque et quasi rotunda verborum constructione ad se confluentem iam aliquot annos illiciebat, ciceronianus purus putus erat; sed pedetentim, in aestu fere litis, re accuratius perpensa, a recepta opinione recesserat; voce et scriptis ad Christianos auctores latine scribentibus sine ulla religione tamquam ad fontes sinceros adeundum contendit (1). Cum eo multi fecerunt, nec inelegantes, nec inerudit philologi; inter quos Ioannes Ludovicus Vives enituit Erasmi discipulus, quorum dialogi plautina festivitate perspersae nos puerulos in grammaticae ludo non sine utilitate detinebant, prae quibusdam recentiorum exercitationibus irata minerva consarcinatis. Valentinus hic professor, qui Prudentium non primis tantum labellis degustaverat, omnes vires suas in poëtae hispani excellentia asserenda expertus est. Sed tanti defensoris conatus in irritum cessere: ceteri *humanistae* in alia omnia, alius alia de causa, discedentes, bene-

(1) V. A. Mureti, *Epist.* L. 11, xxxvI, Horatio Cardaneto.

ficiorum immemores, quae in litteras liberaliores Christiani auctores detulerant, omni humanitate hac in re prorsus expertes e publicis scholis una cum reliquis eximii ingenii et doctrinae scriptoribus Prudentium exterminarunt (1).

Quum ante hos quadraginta annos extra rethoricae cancellos egressi in lycaei auditorium pedem intulimus, memini nobis tirunculis librum Anthologicon iniungi, in quo probus magister quaedam e Livio, Catone Maiore, Tibullo selecta, quaedam praeterea e Lactantio, Augustino, Boëthio atque Prudentio deprompta italice interpretata, memoriae pronuncianda proponeret. Hymnos duos ex Prudentii Καθημερινῶν, duos pariter ex Περὶ Στεφανῶν libro, italicis modis antea mihi con-

(1) Inter paullo cultioris humanitatis viros, qui nostrum limis oculis adspexerunt adnumerantur Lilius Gregorius Giraldius ferrariensis, Renatus Rapinius et Dupinius; Iosephus autem Iuvencius in opella, cui titulus: *Institutiones Poëticae*, quamquam nostrum ab ingenio atque eruditione commendat, eum tamen inclementius *barbaro saepe carmine* usum esse testatur. (L. V., c. 1). E contrario aequiores aestimatores et iudices hispano poëtae se praebuerunt e nostratibus Petrus Crinitus (*De Poët. Latin.*, c. XC); Hubertus Ciofanius, nobilis post Lambinum Lucretii explanator (*Indic. Lucr.* p. 499); Card. Ioannes Bona; Nicolaus Antonius (*Biblioth. Hisp.* L. XI); et, ne longum faciam, Ioannes ille Anton. Vulpius, patavini olim gynnasii doctor illustris, cui Prudentius omnino est: *poëta suo saeculo maior, cultissimus, ac veterum elegantiorum studiosissimus. (Comment. in Catull.)* —

versos memoriter retinui; idque me, canescente iam aetate, grata recordatione repetere iuvat. (1) Sed enim litterae latinae pestilenti iam sidere afflari videbantur; brevique tempore scholarum ordine in Subalpinis et cetera Italia immutato, aliis atque aliis deinceps docendi rationibus invectis, de Lactantio, Augustino, Boëthio, Prudentioque nihil uspiam ne fando quidem auditum.

Sed ego fortasse invenustus, qui te velim in recentiores docendi officinas vocare, quibus filii nostri in scholis ordinis secundi velint, nolint, tres annos conterunt, rerumque pondere obruti infinita satietate afficiuntur. Tu vero, quae tua humanitas est, meum Prudentium, cui equidem postliminii ius competit, amico vultu excipito, candide lector, quem nunc tui causa e situ et longa oblivione vindicatum in publicum dedi. Si tibi in eo evolvendo comitem adiunxeris enarratorem satis litteratum ac pulcri sensu instinctum, spero fore, ut ex poëtae dulcissimi consuetudine miram voluptatem et haud poenitendos fructus percipias.

Dabam Augustae Taurinorum in praeludio diei natalis Iesu Christi an. M.DCCC.XCIV.

(1) V. *Novae Antologiae in usum Scholar. Ordinis Secundi* Libros I, II et III Augustae Taurinorum ex Officina Regia editos an. MDCCCLV.

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS

LYRICA

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS
CATHEMERINON
LIBER

CATHEMERINON
LIBER

PRAEFATIO

Suam unicuique libro praefationem affingere Prudentius consuevit. Haec tamen non ita Καθημερινῶν hymnis connexa est, ut ad omnia pariter eius carmina nequeat pertinere. Hinc in Vatic. codice vetustissimo cum istiusmodi titulo legitur: « *Incipit Prohemium Aur. Prudentii* »; quem titulum et in Egmondano Codice se vidisse Heinsius testatur. Iamvero in hoc carmine vitae suae cursum celeriter perstringens ad an. LVII, quo anno a rebus profanis ad sacras animum ingeniumque traduxit, poëmatum ferme omnium, quibus allaboravit, argumenta proponit.

Per quinquennia iam decem,
Nî fallor, fuimus: septimus insuper (1)
Annum cardo rotat, dum fruimur sole volubili.
Instat terminus, et diem
Vicinum senio iam Deus adplicat.
Quid nos utile tanti spatio temporis egimus? (2)
Aetas prima crepantibus
Flevit sub ferulis. Mox docuit toga (3)
Infectum vitiis falsa loqui, non sine crimine:

(1) *Per quinquennia iam decem, etc.* Haec ad annum aetatis suae referuntur LVII, qui annus DV fuit post Christum natum.

(2) *Quid nos utile.* Contra metri rationem codex unus Vatic. mss. *Vtile quid tanti.*

(3) *toga:* virilis.

Tum lasciva protervitas,
Ac luxus petulans (heu pudet, ac piget!)
Foedavit iuvenem nequitiae sordibus ac luto.
Exin iurgia turbidos (1)
Armarunt animos, et male pertinax
Vincendi studium subiacuit casibus asperis.
Bis legum moderamine
Frenos nobilium reximus urbium (2);
Ius civile bonis reddidimus, terruimus reos.
Tandem militiae gradu
Evectum pietas Principis extulit (3),
Adsumptum propius stare iubens ordine proximo.
Haec dum vita volans agit,
Inrepsit (4) subito canicies seni,
Oblitum veteris me Saliae consulis arguens (5):
Sub quo prima dies mihi,
Quam multas hiemes volverit, et rosas
Pratis post glaciem reddiderit, nix capitis probat.
Numquid talia proderunt
Carnis post obitum vel bona, vel mala,
Quum iam, quidquid id est, quod fueram, mors aboleverit?
Dicendum mihi, quisquis es,
Mundum quem coluit, mens tua perdidit.
Non sunt illa Dei, quae studuit, cuius habeberis.

(1) *iurgia*, forenses contentiones.

(2) Quibus urbibus praefuerit Prudentius parum liquet.

(3) *Principis.* Quinam fuerit hic *princeps*, qui ex Theodosii Magni successoribus Prudentium ampliss. honoribus in aedibus Palatinis auxerit, nihil certi affirmari potest.

(4) *Inrepsit.* In duob. Vaticc. *obrepsit. Obrepere* de iis saepe dicitur, quae accedentes, nos nihil sentientes fallunt, uti de somno, senectute, morte, etc. V. Tvll. *De Senect.* II. — Ivv. Sat. IX, 129.

(5) Quidam: *Veteris Massaliae.* Sed *veteris me Saliae* lectio potior. Salia Hispaniae fluvius et urbs creditur. Cfr. Giselini ad hunc locum adnotationem.

Atqui fine sub ultimo
Peccatrix anima stultitiam exuat:
Saltem voce Deum concelebret, si meritis nequit:
Hymnis continuet dies (1),
Nec nox ulla vacet, quin Dominum canat;
Pugnet contra hereses, catholicam discutiat fidem (2),
Conculcet sacra gentium,
Labem, Roma, tuis inferat idolis
Carmen Martyribus devoveat, laudet Apostolos.
Haec dum scribo vel eloquor,
Vinclis o utinam corporis emicem
Liber, quo tulerit lingua sono mobilis ultimo!

I

HYMNVS AD GALLI CANTVM

Hymnos quotidianos a galli cantu auspicatur, non illo sane primo, quem galli media nocte edunt, quemadmodum Nebrissensis, Chamillardus, aliique interpretati sunt; sed qui postremus sub adventum lucis exauditur, quique proprie *gallicinium* dicitur. Hoc enim tempore *strepunt aves . . . paulo ante quam lux emicet*, uti in hoc hymno v. *13*, *15*. legimus. Poëta Christianos hortatur, uti, gallo canento, omnes e lecto surgant, cantus Christo fundant, et ab eo admissorum veniam precentur.

Ales, diei nuntius,
Lucem propinquam praecinit;
Nos excitator mentium
Iam Christus ad vitam vocat.

(1) Unde hymni sacri ortum duxerint tradit Card. Bona, in opere: *De Divina psalmodia,* XVI, § 9.

(2) *hereses* Licent. pro *haereses*.

Auferte, clamat, lectulos
Aegros, soporos, desides (1);
Castique, recti, ac sobrii
Vigilate: iam sum proximus.
Post solis ortum fulgidi
Serum est cubile spernere,
Nì parte noctis addita,
Tempus labori adieceris.
Vox ista, qua strepunt aves,
Stantes sub ipso culmine (2),
Paullo ante quam lux emicet,
Nostri figura est iudicis.
Tectos tenebris horridis,
Stratisque opertos segnibus,
Suadet quietem linquere
Iamiamque venturo die;
Ut, quum coruscis flatibus
Aurora caelum sparserit,
Omnes labore exercitos
Confirmet ad spem luminis.
Hic somnus, ad tempus datus,
Est forma mortis perpetis:
Peccata, ceu nox horrida,
Cogunt iacere ac stertere.
Sed vox ab alto culmine
Christi docentis praemonet,
Adesse iam lucem prope,
Ne mens sopori serviat;
Ne somnus usque ad terminos
Vitae socordis opprimat
Pectus sepultum crimine,
Et lucis oblitum suae.

(1) *desides*, etc. Qui nos aegritudine, sopore desidiaque complent.
(2) *Stantes sub ipso culmine*. V. VIRG. *Aen*. VIII, 456: ALIGHER. *Parad*. XXIII, 7 et seqq.

Ferunt, vagantes daemonas
Laetos tenebris noctium,
Gallo canente exterritos
Sparsim timere et cedere.
Invisa nam vicinitas
Lucis, salutis, numinis,
Rupto tenebrarum situ,
Noctis fugat satellites.
Hoc esse signum praescii
Norunt repromissae spei,
Qua nos, soporis liberi,
Speramus adventum Dei.
Quae vis sit huius alitis
Salvator ostendit Petro,
Ter ante quam gallus canat,
Se se negandum praedicans.
Fit namque peccatum prius,
Quam praeco lucis proximae
Inlustret humanum genus,
Finemque peccandi ferat.
Flevit negator denique
Ex ore prolapsum nefas,
Quum mens maneret innocens (1),
Animusque servaret fidem.
Nec tale quidquam postea
Linguae locutus lubrico est (2);
Cantuque galli cognito,
Peccare iustus destitit.

(1) Quo sensu haec ntelligenda sint V. S. Leonis Serm. IX *De Passione Domini*, c. IV; et S. Bernardvm, *De Gratia et Libero Arbitrio*, c. XII.

(2) *Linguae locutus lubrico*. Vaticc. praestantiores, Weitzivs et Heinsivs. Contra ea: *Lingua locutus lubrica est* Gisslin. et Cellarivs.

Inde est, quod omnes credimus,
Illo quietis tempore,
Quo gallus exsultans canit,
Christum redîsse ex inferis.
Tunc mortis oppressus vigor (1),
Tunc lex subacta est Tartari,
Tunc vis diei fortior
Noctem coëgit cedere.
Iam iam quiescant improba,
Iam culpa furva obdormiat,
Iam noxa letalis suum
Perpessa somnum marceat.
Vigil vicissim spiritus
Quodcumque restat temporis,
Dum meta noctis clauditur,
Stans ac laborans excubet.
Iesum ciamus vocibus (2),
Flentes, precantes, sobrii:
Intenta supplicatio
Dormire cor mundum vetat (3).
Sat convolutis artubus,
Sensum profunda oblivio
Pressit, gravavit, obruit
Vanis vagantem somniis.
Sunt nempe falsa et frivola,
Quae mundiali gloria (4),

(1) *vigor*. Deterior mihi lectio videtur *rigor*, quam GISELINVS et HEINS. consectantur.

(2) *Iesum*. Bissyllaba vox, uti saepiuscule. V. VINC. LANFRANCHII *Lexicon Poëticum totius Linguae latinae*, ex officina Regia an. MDCCCXC.

(3) In duob. Vaticanis putat HEINS. τὸ *vetat* alienam manum ostendere, atque *vetet* praeoptat.

(4) *mundiali*. Mundialis et mundanus ad christianorum linguam pertinent.

Ceu dormientes, egimus:
Vigilemus; hic est veritas.
  Aurum, voluptas, gaudium,
Opes, honores, prospera,
Quaecumque nos inflant mala,
Fit mane, nil sunt omnia.
  Tu, Christe, somnum disiice,
Tu rumpe noctis vincula:
Tu solve peccatum vetus,
Novumque lumen ingere.

II

HYMNVS MATVTINVS

Noctis tenebris depulsis, et affulgente iam die, qui omnia luce sua detegit, Christum orat, uti coelesti suo lumine cordis nostri tenebras permeet atque discutiat, quo pura mente pioque cantu diem auspicantes, tutius pede inoffenso totum traducamus.

  Nox et tenebrae, et nubila
Confusa mundi et turbida,
Lux intrat, albescit polus,
Christus venit, discedite.
  Caligo terrae scinditur,
Percussa solis spiculo;
Rebusque iam color redit
Vultu nitentis sideris.
  Sic nostra mox obscuritas,
Fraudisque pectus conscium,
Ruptis retectum nubibus,
Regnante pallescet Deo (1).

(1) *pallescet* pleraeque editt. Tres Vaticani et GISELIN. *pallescit*.

Tunc non licebit claudere,
Quod quisque fuscum cogitat;
Sed mane clarescent novo
Secreta mentis prodita.

Fur ante lucem squalido
Impune peccat tempore;
Sed lux dolis contraria
Latere furtum non sinit.

Versuta fraus et callida
Amat tenebris obtegi,
Aptamque noctem turpibus
Adulter occultus fovet.

Sol, ecce, surgit igneus:
Piget, pudescit, poenitet;
Nec teste quisquam lumine
Peccare costanter potest.

Quis mane sumptis nequiter
Non erubescit poculis,
Quum fit libido temperans,
Castumque nugator sapit?

Nunc, nunc severum vivitur (1);
Nunc nemo tentat ludicrum:
Inepta nunc omnes sua
Vultu colorant serio.

Haec hora cunctis utilis,
Qua quisque, quod studet, gerat,
Miles, togatus, navita (2),
Opifex, arator, institor.

(1) *Severum* adverbialiter pro *severe.*

(2) *togatus.* Praesertim toga utebantur causarum patroni.

Illum forensis gloria,
Hunc triste raptat classicum:
Mercator hinc ac rusticus
Avara suspirant lucra.
At nos lucelli ac foenoris,
Fandique prorsus nescii,
Nec arte fortes bellica.
Te, Christe, solum novimus:
Te mente pura et simplici,
Te voce, te cantu pio,
Rogare, curvato genu (1),
Flendo et canendo discimus.
His nos lucramur quaestibus,
Hac arte tantum vivimus;
Haec inchoamus munera,
Quum sol resurgens emicat.
Intende nostris sensibus,
Vitamque totam dispice (2):
Sunt multa fucis inlita,
Quae luce purgentur tua.
Durare nos tales iube,
Quales, remotis sordibus,
Nitere pridem iusseras
Iordane tinctos flumine (3).
Quodcumque nox mundi dehinc
Infecit atris nubibus,
Tu, rex eöi sideris,
Vultu sereno inlumina.

(1) *curvato genu.* Diebus profestis olim Christiani genibus submissis preces Deo fundere consueverant, Dominicis vero adorabant stantes. Cfr. Ios. Bingam, *Orig. Eccl.* Vol. V, p. 260.

(2) *dispice* Vatic. unus, Isonivs et Weitz. *despice.*

(3) *tinctos flumine.* Videlicet salutari lavacro rite ablutos.

Tu, Sancte, qui tetram picem
Candore tinguis lacteo (1),
Ebenoque crystallum facis,
Delicta terge livida.
Sub nocte Iacob caerula,
Luctator audax angeli (2),
Eo usque dum lux surgeret,
Sudavit impar praelium.
Sed quum iubar claresceret,
Lapsante claudus poplite,
Femurque victus debile,
Culpae vigorem perdidit.
Nutabat inguen saucium,
Quae corporis pars vilior,
Longeque sub cordis loco
Diram fovet libidinem.
Hae nos docent imagines,
Hominem tenebris obsitum,
Si forte non cedat Deo,
Vires rebelles perdere.
Erit tamen beatior,
Intemperans membrum cui
Luctando claudum et tabidum
Dies oborta invenerit.
Tandem facessat caecitas,
Quae nosmet in praeceps diu
Lapsos sinistris gressibus
Errore traxit devio.
Haec lux serenum conferat,
Purosque nos praestet sibi :
Nihil loquamur subdolum,
Volvamus obscurum nihil.

(1) *tinguis. Tinguo* pro *tingo* haud absurde scribi docent MANVTIVS, PIERIVS, et DAVSQVIVS; unde *distinguo*, *exstinguo.*
(2) *Luctator audax.* V. *Genes.* XXXII.

Sic tota decurrat dies,
Ne lingua mendax, ne manus,
Oculive peccent lubrici;
Ne noxa corpus inquinet.
Speculator adstat desuper,
Qui nos diebus omnibus,
Actusque nostros prospicit
A luce prima in vesperum.
Hic testis, hic est arbiter,
Hic intuetur quidquid est,
Humana quod mens concipit;
Hunc nemo fallit iudicem.

III

HYMNVS ANTE CIBVM

Hortatur seipsum poëta ad cibi parsimoniam et sobriam coenam, quam describit.

O crucifer bone, lucisator,
Omniparens, pie, verbigena (1),
Edite corpore virgineo,
Sed prius in Genitore potens (2),
Astra, solum, mare quam fierent,

(1) ***Verbigena.*** Istiusmodi voce nostrum designare voluisse Dei filium, Verbo Patris genitum, nemo sanus inficias iverit. Quod pace dixerim Clerici, qui contendit hic pro ipso Verbo genito usurpatam non fuisse. V. *Hymn. in Natali Domini,* v. 17.

(2) *potens.* In uno Vatic. *manens.*

Huc nitido, precor, intuitu
Flecte salutiferam faciem,
Fronte serenus, et inradia,
Nominis ut sub honore tui
Has epulas liceat capere.
Te sine dulce nihil, Domine,
Nec iuvat ore quid appetere,
Pocula nî prius atque cibos,
Christe, tuus favor imbuerit,
Omnia sanctificante fide.
Fercula nostra Deum sapiant,
Christus et influat in pateras:
Seria, ludicra verba, iocos;
Denique quod sumus, aut agimus
Trina superne regat pietas.
Hic mihi nulla rosae spolia (1),
Nullus aromate fragrat odor;
Sed liquor influit ambrosius,
Nectareamque fidem redolet
Fusus ab usque Patris gremio.
Sperne, Camoena, leves hederas (2),
Cingere tempora quîs solita es;
Sertaque mystica dactylico
Texere docta liga strophio,
Laude Dei redimita comas.
Quod generosa potest anima,
Lucis et aetheris indigena,
Solvere dignius obsequium,
Quam data munera si recinat,
Artificem modulata suum?

(1) *rosae spolia.* Roseis coronis redimiti, et unguentis delibuti, epulis accumbebant lautiores Romani.

(2) Poëtae hedera caput ornabant Baccho sacra. V. Hor. *Lyric.* I, 1, 29.

Ipse homini quia cuncta dedit,
Quae capimus, dominante manu,
Quae polus, aut humus, aut pelagus
Aëre, gurgite, rure creant,
Haec mihi subdidit, et sibi me.

Callidus inlaqueat volucres
Aut pedicis dolus aut maculis (1):
Inlita glutine corticeo
Vimina plumigeram seriem
Impediunt, et abire vetant.

Ecce per aequora fluctivagos
Texta greges sinuosa trahunt:
Piscis item sequitur calamum,
Raptus acumine vulnifico,
Credula saucius ora cibo.

Fundit opes ager ingenuas,
Dives aristiferae segetis,
Hic, ubi vitea pampineo
Brachia palmite luxuriant (2),
Pacis alumna ubi bacca viret (3).

Haec opulentia Christicolis
Servit, et omnia subpeditat:
Absit enim procul illa fames,
Caedibus ut pecudum libeat
Sanguineas lacerare dapes (4).

(1) *maculis*, retium foraminibus, aut plagis quas Itali dicerent *maglie*. Ovid. *Heroid.* V, 19: *Retia saepe comes maculis distincta tetendi.*

(2) *brachia*. Ramos minores e maioribus erumpentes.

(3) *bacca*. Fructus oleae, quae pacis est σύμβολον. Scribitur etiam *baca;* sed *bacca* optima scriptura est. — *pacis alumna.* Tvll. VII, *Philip.* 3: *Ego itaque pacis, ut ita dicam, alumnus.*

(4) *Sanguineas...* Non Pythagoreorum aut Manichaeorum doctrinis imbuti carnium esum omnino prohibebant vetustiores Christiani, sed a suilla, agnina, bubula temperabant, ne gulae impensius inservirent. V. S. Avgvst. *De moribus Eccl. Cath.* I, V, 33.

Sint fera gentibus indomitis
Prandia de nece quadrupedum;
Nos oleris coma, nos siliqua (1)
Foeta legumine multimodo
Paverit innocuis epulis.
Spumea mulctra gerunt niveos
Ubere de gemino latices,
Perque coagula densa liquor
In solidum coit, et fragili
Lac tenerum premitur calatho.
Mella recens mihi Cecropia (2)
Nectare sudat olente favus:
Haec opifex apis aërio
Rore liquat, tenuique thymo,
Nexilis inscia connubii.
Hinc quoque pomiferi nemoris
Munera mitia proveniunt (3):
Arbor onus tremefacta suum
Deciduo gravis imbre pluit,
Puniceosque iacit cumulos.
Quae veterum tuba, quaeve lyra
Flatibus inclita, vel fidibus,
Divitis omnipotentis opus,
Quaeque fruenda patent homini,
Laudibus aequiparare queat?
Te, Pater optime, mane novo,
Solis et orbita quum media est;
Te quoque luce sub occidua,

(1) *siliqua*. Per synechd. ipsa legumina hoc nomine veniebant, quibus tenuiores victitarent. V. Hor. II, Ep. 1, 123; Pers. III, 55; Ivv. XI, 58.

(2) *Cecropia*, Attica. In Hymetto, Atticae monte, laudatissimum olim mel colligebatur. V. hymn. V., 94; Virg. *Geor.* IV, 177.

(3) *Munera mitia*. Poma matura. V. Virg. *Ecl.* I, 81.

Sumere quum monet hora cibum,
Nostra, Deus, canet harmonia (1).

Quod calet halitus interior,
Corde quod abdita vena tremit,
Pulsat et incita quod resonam
Lingua sub ore latens caveam,
Laus superi Patris esto mihi.

Nos igitur tua, Sancte, manus (2)
Caespite composuit madido,
Effigiem meditata suam (3);
Utque foret rata materies
Flavit, et indidit ore animam.

Tunc per amoena vireta iubet
Frondicomis habitare locis,
Ver ubi perpetuum redolet,
Prataque multicolora latex
Quadrifluo celer amne rigat.

Haec tibi nunc famulentur, ait:
Usibus omnia dedo tuis;
Sed tamen aspera mortifero
Stipite carpere poma veto,
Qui medio viret in nemore.

Hic draco perfidus indocile
Virginis inlicit ingenium,
Ut socium malesuada virum
Mandere cogeret ex vetitis,
Ipsa pari peritura modo.

(1) *harmonia.* Non tantum occidente sole, saeculo V preces Deo faciebant Christianam religionem professi, sed etiam post vesperum et noctu adorabant. Cfr. Card. Bona, *De Div. Psalmodia,* I et seqq.

(2) *Sancte.* Κατ' ἐξοχήν, Sancte Deus. — Quidam codd. cum Weitz. *sancta;* sed non apte.

(3) *Effigiem, etc.* Imaginem Filii sui, qui esset venturus inter mortales humano corpore indutus.

Corpora mutua (nosse nefas)
Post epulas inoperta vident (1),
Lubricus error et erubuit:
Tegmina suta parant foliis,
Dedecus ut pudor occuleret.

Conscia culpa, Deum pavitans,
Sede pia procul exigitur:
Innuba foemina quae fuerat (2),
Coniugis excipit imperium,
Foedera tristia iussa pati.

Auctor et ipse doli coluber
Plectitur improbus, ut mulier
Colla trilinguia calce terat (3):
Sic coluber muliebre solum (4)
Suspicit, atque virum mulier.

His ducibus vitiosa dehinc
Posteritas ruit in facinus;
Dumque rudes imitatur avos,
Fasque nefasque simul glomerans,
Impia crimina morte luit.

Ecce venit nova progenies,
Aethere proditus alter homo;
Non luteus velut ille prius,
Sed Deus ipse gerens hominem,
Corporeisque carens vitiis.

(1) *inoperta.* S. AVGVST. *De Civ. Dei*, XIV, 17: *Non quod eis sua nuditas esset incognita, sed turpis nuditas nondum erat.*

(2) *Innuba* per abusionem Hevam *innubam* dixit, quae Adamo quidem matrimonii iure erat obligata; sed viro libens et ultro, tamquam innuba, parebat.

(3) *colla,* caput, os trilingue; lingua trisulca.

(4) *muliebre solum.* V. Περὶ Στεφ. XIV, 116.

Fit caro vivida Sermo Patris,
Numine quem rutilante gravis
Non thalamo, neque iure thori,
Nec genialibus illecebris
Intemerata puella parit.
Hoc odium vetus illud erat (1),
Hoc erat aspidis atque hominis
Digladiabile discidium,
Quod modo cernua foemineis
Vipera proteritur pedibus (2).
Edere namque Deum merita
Omnia Virgo venena domat:
Tractibus anguis inexplicitis
Virus inerme piger revomit,
Gramine concolor in viridi.
Quae feritas modo non trepidat,
Territa de grege candidulo?
Impavidas lupus inter oves
Tristis obambulat, et rabidum,
Sanguinis immemor, os cohibet.
Agnus enim vice mirifica
Ecce leonibus imperitat;
Exagitansque truces aquilas
Per vaga nubila, perque notos
Sidere lapsa columba fugat.
Tu mihi, Christe, columba potens,
Sanguine pasta cui cedit avis (3);
Tu niveus per ovile tuum
Agnus hiare lupum prohibes,
Sub iuga tigridis ora premens.

(1) *Hoc odium*. V. *Genes*. III.
(2) *Vipera*. Vel ab ultima Christiani nominis aetate Virgo Dei Mater serpentem sub pedibus calcans repraesentabatur. Igitur falso Calvinianae doctrinae sectatores nos hac in re novitatis insimulant.
(3) *avis*. Aquila; et transl. daemon.

Da, locuples Deus, hoc famulis
Rite precantibus, ut tenui
Membra cibo recreata levent;
Neu piger immodicis dapibus
Viscera tenta gravet stomachus.
Haustus amarus abesto procul (1):
Ne libeat tetigisse manu
Exitiale quid, aut vetitum;
Gustus et ipse modum teneat,
Sospitet ut iecur incolume.
Sit satis anguibus horrificis,
Liba quod impia corporibus (2)
Ah! miseram peperere necem·
Sufficiat semel ob facinus
Plasma Dei potuisse mori.
Oris opus, vigor igneolus (3)
Non moritur, quia flante Deo
Compositus, superoque fluens
De solio Patris artificis,
Vim liquidae rationis habet.
Viscera mortua quin etiam
Post obitum reparare datur,
Eque suis iterum tumulis
Prisca renascitur effigies,
Pulvereo coeunte situ.
Credo equidem, neque vana fides,
Corpora vivere more animae (4):
Nam modo corporeum memini

(1) *Haustus amarus,* qui nos amaritudine in ebrietate afficiat.

(2) *Libum.* Quid sit *libum*, quaque ratione conficiatur tradit Cato *De Re Rust.* 75; A *libando* dictum, quia praecipuus eius usus in sacris fuit. (V. VARRO Ibi, II, 8). Pro quovis cibo.

(3) *opus.* Oris divini opus anima est a Deo in corpus humanum inflata.

(4) *vivere* enall., pro eo quod est, *revictura esse.*

De Phlegethonte gradu facili
Ad superos remeasse Deum.
Spes eadem mea membra manet,
Quae redolentia funereo (1)
Iussa quiescere sarcophago (2),
Dux parili redivivus humo
Ignea Christus ad astra vocat.

IV

HYMNVS POST CIBVM

Grates pro sumpto cibo persolvit Deo. Dei bonitatem in homines ait comparere in Danielis historia, quem, Deo iubente, Habacuc in specu leonum pavit. Danielis historiam ad mores nostros traducit.

Pastis visceribus, ciboque sumpto,
Quem lex corporis imbecilla poscit,
Laudem lingua Deo Patri rependat:
Patri, qui Cherubin sedile sacrum,
Nec non et Seraphim suum supremo
Subnixus solio tenet regitque.
Hic est, quem Sabaoth Deum vocamus (3),
Expers principii, carensque fine,
Rerum conditor, et repertor orbis.
Fons vitae liquida fluens ab arce,
Infusor fidei, sator pudoris,
Mortis perdomitor, salutis auctor.

(1) *redolentia*, V. Καθημ. X, 49, 50; Iob. XIX, 25.

(2) ***sarcophago***. Quid sit sarcophagus videsis Plin. Maior. ***Hist. Nat.*** II, 96, 98. Per synecd. est sepulchrum.

(3) ***Sabaoth*. — *Sabaoth*** et ***Zabaoth***, Deus exercituum, a צבא.

Omnes quod sumus, aut vigemus, inde est (1).
Regnat Spiritus ille sempiternus,
A Christo simul et Parente missus.
Intrat pectora candidus pudica,
Quae templi vice consecrata rident,
Postquam combiberint Deum medullis.
Sed, si quid vitii dolive nasci
Inter viscera iam dicata sensit,
Ceu spurcum refugit celer sacellum.
Tetrum flagrat enim vapore crasso (2)
Horror conscius aestuante culpa,
Offensumque bonum niger repellit.
Nec solus pudor innocensve votum
Templum constituunt perenne Christo
In cordis medii sinu ac recessu;
Sed, ne crapula ferveat cavendum est,
Quae sedem fidei cibis refertam
Usque ad congeriem coartet intus.
Parcis victibus expedita corda
Infusum melius Deum receptant:
Hic pastus animae est, saporque verus.
Sed nos tu gemino fovens paratu,
Artus atque animas utroque pastu
Confirmas, Pater, ac vigore comples.
Sic olim tua praecluens potestas,
Inter raucisonos situm leones,
Inlapsis dapibus virum refòvit (3).
Illum fusile numen exsecrantem,
Et curvare caput sub expolita
Aeris materia nefas putantem

(1) *Omnes.* — *Omne* Vatic. unus, et Weitz.

(2) *Tetrum;* et cum diphthongo *taetrum*, a *taedeo.* — *flagrat.* V. Καθημ. V. II, 33. Alii *fragrat.*

(3) *virum.* Danielem prophetam.

Plebs dirae Babylonis, ac tyrannus
Morti subdiderant, feris dicârant,
Saevis protinus haustibus vorandum.
O semper pietas fidesque tuta!
Lambunt indomiti virum leones,
Intactumque Dei tremunt alumnum.
Adstant comminus et iubas reponunt:
Mansuescit rabies, fameque blanda (1).
Praedam rictibus ambit incruentis.
Sed quum tenderet ad superna palmas,
Expertumque sibi Deum rogaret,
Clausus iugiter, indigensque victus,
Iussus nuntius advolare terris,
Qui pastum famulo daret probato,
Raptim desilit obsequente mundo.
Cernit forte procul dapes inemptas,
Quas messoribus Abacuc propheta
Agresti bonus exhibebat arte.
Huius caesarie manu prehensa,
Plenis, sicut erat, gravem canistris
Suspensum rapit, et vehit per auras.
Tum raptus simul ipse, prandiumque
Sensim labitur in lacum leonum.
Et quas tunc epulas gerebat, offert.
« Sumas laetus, ait, libensque carpas,
Quae summus Pater, angelusque Christi (2)
Mittunt liba tibi sub hoc periclo ».
His sumptis, Danielus excitavit
In caelum faciem; ciboque fortis
Amen reddidit, alleluia dixit.

(1) *fameque.* omnes Codd. probatiores; perperam GISELINVS *famesque.*
(2) *angelusque Christi.* Πρόληψις. V. et VII, 147.

Sic nos, muneribus tuis refecti,
Largitor Deus omnium bonorum,
Grates reddimus, et sacramus hymnos.
Tu nos tristifico velut tyranno,
Mundi scilicet impotentis actu
Conclusos regis, et feram (1) repellis,
Quae circumfremit, ac vorare tentat,
Insanos acuens furore dentes;
Cur te (2), summe Deus, precemur unum.
Vexamur, premimur, malis rotamur:
Oderunt, lacerant, trahunt, lacessunt;
Iuncta est suppliciis fides iniquis.
Nec defit tamen anxiis medela;
Nam, languente truci leonis ira,
Inlapsae superingeruntur escae (3).
Quas si quis sitienter hauriendo,
Non gustu tenui sed ore pleno,
Internis velit implicare venis,
Hic sancto satiatus ex propheta (4),
Iustorum capiet cibos virorum,
Qui fructum domino metunt perenni.
Nîl est dulcius ac magis saporum,
Nîl quod plus hominem iuvare possit,
Quam vatis pia praecinentis orsa.
His sumptis licet insolens potestas
Pravum iudicet, inrogetque mortem;
Impasti licet irruant leones,

(1) *feram*, Daemonem. V. Aligher. *Inferor.* VII, 15.

(2) *Cur te. Cur te* in trib. Vaticc., et Heinsivs. *Cum te*, Gisel. et Weitz.; sed lectio prior anteferenda, qua ratio nobis redditur, ob quam daemones nos devorare conentur.

(3) *escae.* Escis nempe innutriuntur, quae non iam corpus, sed animum reficiant.

(4) *ex propheta.* Quemadmodum Daniel ab Habacuc est pastus.

Nos semper Dominum Patrem fatentes,
In te, Christe Deus, loquemur unum,
Constanterque tuam crucem feremus.

V

HYMNVS AD INCENSVM * LVCERNAE

In hoc carmine, quod sub noctem, quum lumina accenduntur, canendum est, ignis atque luminis laudes altius repetiturus, in latissimum historiae sacrae campum, more suo, excurrit poëta; ubi quae Iudeis, ex Aegypto eductis, prodigialiter evenerunt, breviter complectitur, atque ad mysticos sensus refert. Hymnum instituto luminum praeconio concludit.

Inventor rutili, Dux bone, luminis,
Qui certis vicibus tempora dividis,
Merso sole, chaos ingruit horridum (1):
Lucem redde tuis, Christe, fidelibus.
Quamvis innumero sidere regiam,
Lunarique polum lampade pinxeris,
Incussu silicis lumina nos tamen
Monstras saxigeno semine quaerere,
Ne nesciret homo spem sibi luminis
In Christi solido corpore conditam,
Qui dici stabilem se voluit petram,
Nostris igniculis unde genus venit;
Pinguis quos olei rore madentibus
Lychnis, aut facibus pascimus aridis:
Quin et fila favis scirpea floreis (2)
Presso melle prius conlita fingimus.

* *Ad incensum lucernae.* Haec inscriptio legitur in codicib. Vaticc. maioris momenti. Aberrat CHAMILLARDVS, qui bene multis adstipulatur editionibus, ubi hymnus ad hunc modum falso inscribitur; *Ad Incensum cerei paschalis.*

(1) *chaos* eleganter de caligine et tenebris. V. Περὶ Στεφ. III, 55.

(2) *scirpea.* Filis scirpeis olim etiam ellychnia conficiebantur cereorum et lucernarum.

Vivax flamma viget, seu cava testula
Succum linteolo suggerit ebrio,
Seu pinus piceam fert alimoniam,
Seu ceram teretem stuppa calens bibit.
Nectar de liquido vertice fervidum
Guttatim lacrimis stillat olentibus;
Ambustum quoniam vis facit ignea
Imbrem de madido flere cacumine.
Splendent ergo tuis muneribus, Pater,
Flammis mobilibus scilicet atria,
Absentemque diem lux agit aemula,
Quam nox cum lacero victa fugit peplo.
Sed quis non rapidi luminis arduam
Manantemque Deo cernat originem?
Moses nempe Deum spinifera in rubo (1)
Vidit conspicuo lumine flammeum.
Felix, qui meruit sentibus in sacris
Caelestis solii visere principem,
Iussus nexa pedum vincula solvere,
Ne sanctum involucris pollueret locum (2)!
Hunc ignem populus sanguinis incliti
Maiorum meritis tutus et impotens,
Suetus sub dominis vivere barbaris (3),
Iam liber sequitur longa per avia.
Qua gressum tulerant, castraque cerulae
Noctis per medium concita moverant,
Plebem pervigilem, fulgure praevio,
Ducebat radius sole micantior.

(1) *rubo.* De *rubo* apud Prudent. V. Vinc. Lanfranchii *Lexicon poëticum totius Linguae Latinae.* Augustae Taur'n. ex officina Regia an. MDCCCXC.

(2) *involucris*, calceamentis. Penultimam vocis syllabam licenter corripuit noster more suo. V. *Hamartig.* 929, et Praef. Contra Symmac. I, 54.

(3) *sub dom. barbaris.* Sub Aegyptiis.

Sed rex Niliaci litoris, invido
Fervens felle, iubet praevalidam manum
In bellum rapidis ire cohortibus,
Ferratasque acies clangere classicum.
Sumunt arma viri, seque minacibus
Accingunt gladiis: triste canit tuba.
Hic fidit iaculis, ille volantia
Praefigit calamis spicula Gnosiis (1).
Densetur cuneis turba pedestribus (2);
Currus pars, et equos, et volucres rotas (3)
Conscendunt celeres, signaque bellica
Praetendunt tumidis clara draconibus.
Hic iam servitii nescia pristini
Gens Pelusiacis usta vaporibus,
Tandem purpurei gurgitis hospita
Rubris litoribus fessa resederat.
Hostis dirus adest cum duce perfido,
Infert et validis proelia viribus.
Moses porro suos in mare praecipit
Constans intrepidis tendere gressibus.
Praebent rupta locum stagna viantibus,
Riparum in faciem pervia: sistitur
Circumstans vitreis unda liquoribus,
Dum plebs sub bifido permeat aequore.
Pubis (4) quin etiam decolor asperis
Inritata odiis, rege sub impio,
Hebraeum sitiens fundere sanguinem,

(1) *Gnosiis*. Gnosos Cretae urbs proximo Idam montem, ubi calami sagittis aptissimi proveniebant. V. Hor. *Lyr*. I, 15, 17; Lvc. III, 185.

(2) *turba*. Tutius quam *turma*.

(3) *Currus pars* etc. Lectionem describimus ceteris praeoptandam, et Gronovianae in primis, quam Heinsivs consectatur. Gronovivs (*Observ. Eccl.* c. V, 13) legit: *Currus pars, et equis et volucres rotis*.

(4) *Pubis*. V. hymn. VII, 162.

Audet se pelago credere concavo.
  Ibant praecipiti turbine percita
Fluctus per medios agmina regia;
Sed confusa dehinc unda revolvitur
In semet revolans gurgite confluo (1).
  Currus tunc, et equos, telaque naufraga,
Ipsos et proceres, et vaga corpora
Nigrorum videas nare satellitum,
Arcis iustitium triste tyrannicae.
  Quae tandem poterit lingua retexere
Laudes, Christe, tuas? qui domitam Pharon (2)
Plagis multimodis cedere praesuli (3)
Cogis iustitiae vindice dextera;
  Qui pontum rapidis aestibus invium
Persultare vetas, ut refluo in salo
Securus pateat, te duce, transitus,
Et mox unda rapax ut voret impios;
  Cui ieiuna eremi (4) saxa loquacibus
Exundant scatebris, et latices novos
Fundit scissa silex, quae sitientibus
Dat potum populis axe sub igneo.
  Instar fellis aqua tristifico in lacu
Fit ligni venia mel velut Atticum (5):
Lignum est, quo sapiunt aspera dulcius:
Nam praefixa Cruci spes hominum viget.
  Implet castra cibus tunc quoque ninguidus,
Inlabens gelida grandine densius:
His mensas epulis, hac dape construunt,
Quam dat sidereo Christus ab aethere.

(1) *confluo.* In duobus Vaticc. *refluo.*
(2) *Pharon.* Synecd. pro eo quod est Aegyptum.
(3) *praesuli.* Moysi.
(4) *eremi.* Secundam in voce *eremi* correptam cernis.
(5) *mel.... Atticum.* De *melle Attico* V. hymn. III, 71. — Plin. Maior. XIV, 14. Hor. II, Sat. 2, 15.

Nec non imbrifero ventus anhelitu
Crassa nube leves invehit alites (1),
Quae difflata in humum quum semel agmina
Fluxerunt, reduci non revolant fuga.
Haec olim patribus praemia contulit
Insignis pietas Numinis unici,
Cuius subsidio nos quoque vescimur,
Pascentes dapibus pectora mysticis.
Fessos ille vocat per freta saeculi,
Discissis populum turbinibus regens;
Iactatasque animas mille laboribus
Iustorum in patriam scandere praecipit.
Illic purpureis tecta rosariis
Omnis flagrat humus, calthaque pinguia (2),
Et molles violas, et tenues crocos
Fundit fonticulis unda fugacibus.
Illic et gracili balsama surculo
Desudata fluunt, raraque cinnama
Spirant, et folium (3), fonte quod abdito
Praelambens fluvius portat in exitum.
Felices animae prata per herbida
Concentu parili suave sonantibus
Hymnorum modulis dulce canunt melos,
Calcant et pedibus lilia candidis.
Sunt et spiritibus saepe nocentibus
Poenarum celebres sub styge feriae (4)

(1) *alites.* Coturnices.

(2) *calthaque. Calthum, i,* neutrius generis Prudentianum esse omnino videtur; nam in ceteris latin. scriptoribus *caltha, ae* f. gener. semper occurrit. *Caltha* autem est nobis Italis *fiorrancio.*

(3) *folium.* Scil. foliatum.

(4) *feriae.* Poëtice omnino, non vere haec dicta putat GISELINVS. Quamquam S. Augustini aetate non defuerunt, qui in istiusmodi essent haeresi, ut existimarent impiis apud inferos constituta supplicia quandoque Deum remittere. V. S. AVG. *Ench.* XXIX edit. Maurin.

Illa nocte, sacer qua rediit Deus
Stagnis ad superos ex Acheronticis:
Non sicut tenebras de face fulgida
Surgens oceano Lucifer imbuit,
Sed terris Domini de Cruce tristibus
Maior sole novum restituens diem.
Marcent suppliciis Tartara mitibus;
Exsultatque sui carceris otio
Umbrarum populus liber ab ignibus (1),
Nec fervent solito flumina sulphure.
Nos festis trahimus per pia gaudia
Noctem conciliis, votaque prospera
Certatim vigili congerimus prece;
Exstructoque agimus liba sacrario (2).
Pendent mobilibus lumina funibus,
Quae suffixa micant per laquearia,
Et de languidulis fota natatibus
Lucem perpiscuo flamma iacit vitro.
Credas stelligeram desuper aream
Ornatam geminis stare Trionibus,
Et qua Bosphoreum (3) temo regit iugum
Passim purpureos spargier Hesperos.
O res digna, Pater (4), quam tibi roscidae
Noctis principio grex tuus offerat,
Lucem, qua tribuis nil praetiosius (5):
Lucem, qua reliqua praemia cernimus!
Tu lux vera oculis, lux quoque sensibus,
Intus tu speculum, tu speculum foris,

(1) *Umbrarum*. In nonnullis codd. mss. *functorum*.

(2) *agimus liba*. Sacra de altari extructo libamus.

(3) *Bosphoreum*. In edit. Bodon. *Bosporeum* sine adspirat. graecor. more. — GISEL. *phosphoreum*.

(4) *Pater*, HEINS. ex cod. Puteano: Vaticani quatuor, GISELINVS et WEITZIVS, *Deus*.

(5) *Lucem*. *Lucem* ἑλληνικῶς pro eo quod est *lux*.

Lumen, quod famulans offero, suscipe,
Tinctum pacifici chrismatis unguine (1).
  Per Christum genitum, summe Pater, tuum,
In quo visibilis stat tibi gloria,
Qui noster Dominus, qui tuus unicus
Spirat de patrio corde Paraclitum;
  Per quem splendor, honos, laus, sapientia,
Maiestas, bonitas, et pietas tua
Regnum continuat numine (2) triplici,
Texens perpetuis saecula saeculis.

VI

HYMNVS ANTE SOMNVM

Quum in somno, qui nobis ad corporis animique vires reparandas est datus, multa partim honesta, partim turpia contingant, a Deo in hoc hymno noster petit, ut placidos sibi somnos largiatur, somniorum terrores procul habeat, eaque secundum quietem visa salutaria immittat, quibus viri sancti usi sunt.

  Ades, Pater supreme,
Quem nemo vidit unquam,
Patrisque Sermo, Christe,
Et Spiritus benigne.
  O Trinitatis huius
Vis una, lumen unum,
Deus ex Deo perennis,
Deus ex utroque missus,
  Fluxit labor diei,
Redit et (3) quietis hora,
Blandus sopor vicissim
Fessos relaxat artus.

(1) *Tinctum, etc.* Pingui olivae paciferae liquore.

(2) *numine.* In duobus Vaticc. *nomine.*

(3) *Redit et.* Copulativam *et* respuit recta carminis mensura, et duo Vaticc. missam faciunt.

Mens aestuans procellis,
Curisque sauciata,
Totis bibit medullis
Obliviale (1) pôclum.
Serpit per omne corpus
Lethaea vis, nec ullum
Miseris doloris aegri
Patitur manere sensum.
Lex haec data est' caducis
Deo iubente, membris,
Ut temperet laborem
Medicabilis voluptas.
Sed, dum pererrat omnes
Quies amica venas,
Pectusque feriatum
Placat, rigante somno,
Liber vagat (2) per auras
Rapido vigore sensus,
Variasque per figuras,
Quae sunt operta cernit.
Quia mens soluta curis,
Cui est origo caelum,
Purusque fons ab aethra,
Iners iacere nescit.
Imitata multiformes
Facies sibi ipsa fingit,
Per quas repente currens
Tenui fruatur actu.
Sed sensa somniantum
Dispar fatigat horror:

(1) *Obliviale*, obliviosum, quod obblivionem inducit. Est Graecum ἐπιλήσμων, quod Leopardivs *(Nelle nozze della sorella Paolina*, 100) italice convertit *obblivioso*. — V. Hor. *Lyricor*. II. 7, 21.
(2) *vagat* optimi codd. Vaticc. Quibusdam placet *vagas*.

Nunc splendor intererrat,
Qui dat futura nosse:
Plerumque dissipatis
Mendax imago veris,
Animos pavore moestos
Ambage fallit atra.
Quem rara culpa morum
Non polluit frequenter,
Hunc lux serena vibrans
Res edocet latentes;
At, qui coinquinatum
Vitiis cor impiavit,
Lusus pavore multo,
Species videt tremendas (1).
Hoc Patriarcha noster
Sub carceris catena
Geminis simul ministris
Interpres adprobavit.
Quorum regressus unus (2)
Dat poculum tyranno;
Ast alterum rapaces
Fixum vorant volucres.
Ipsum deinde regem,
Perplexa somniantem,
Monuit, famem futuram
Clausis cavere acervis.
Mox praesul ac tetrarches
Regnum per omne iussus
Sociam tenere virgam,
Dominae resedit aulae.

(1) *Species videt tremendas.* De somniorum natura et causis agit Benedictvs Pererivs, in libro II *De Magia.*

(2) *regressus.* Vat. codd. plerique omnes, et Heins — Giselinvs et Weitzivs *reversus.*

O quam profunda iustis
Arcana per soporem
Aperit tuenda Christus!
Quam clara, quam tacenda!
Evangelista summi
Fidissimus Magistri,
Signata quae latebant
Nebulis videt remotis;
Ipsum Tonantis agnum
De caede purpurantem,
Qui conscium futuri
Librum resignat unus (1).
Huius manum potentem
Gladius perarmat anceps,
Et fulgurans utrinque
Duplicem minatur ictum.
Quaesitor ille solus
Animaeque, corporisque,
Ensisque bis timendus
Prima ac secunda mors est (2).
Idem tamen benignus
Ultor retundit iram,
Paucosque non piorum
Patitur perire in aevum (3).
Huic inclytus perenne
Tribuit Pater tribunal;
Hunc obtinere iussit
Nomen supra omne nomen.

(1) Poëtice dictum haec puta; non enim S. Ioannes quae in Apocalypsi narrat, ea secundum quietem vidit, sed vigil, divinoque Spiritu affatus, scripto tradidit. Videsis B. Bossveti Praef. in Apoc.

(2) *Prima ac secunda mors.* V. *Apocal.* xx.

(3) *perire in aevum.* Quem latet Dei bonitatem, nullis finibus terminatam? V. Reg. II, xiv, 14. Sed beatorum coelestium numerum infra improborum numerum fore, qui sempiternis cruciatibus sint afficiendi, docet idem poëta noster *Hamartig.* 820 et seqq.

Hic praepotens cruenti
Exstinctor Antichristi,
Qui de furente monstro
Pulchrum refert tropaeum.
Quam bestiam rapacem (1),
Populosque devorantem,
Quam sanguinis Charybdin
Ioannes exsecratur (2).
Haec nempe, quae sacratum
Praeferre nomen ausa est,
Imam petit gehennam,
Christo perempta vero.
Tali sopore iustus
Mentem relaxat heros,
Ut spiritu sagaci
Caelum peragret omne.
Nos nil meremur horum,
Quos creber implet error,
Concreta quos malarum
Vitiat cupido rerum.
Sat est quiete dulci
Fessum fovere corpus:
Sat, si nihil sinistrum
Vanae minentur umbrae.
Cultor Dei, memento
Te fontis et lavacri

(1) *bestiam*. Talem bestiam *rapacem*, vel uti quidam malunt, *capacem*, qualem Prudentius describit, nobis repraesentat S. IOAN. in *Apoc.* XIII.

(2) *Ioannes*. Ut nominis ultimam syllabam corripiat HEINS. e Puteano cod. scribit *Ioannis*. CELLARIVS HEINSIVM sequitur. Sed quinque, iique probatissimi codd. Vaticc. nobis exhibent *Ioannes*, qui casus rectus est, quem volumus, neque metro, aut ego fallor, repugnat. V. Edit. Giselianam Parisiis apud Hieron. De Marnef. publicatam an. 1562.

Rorem subîsse sanctum (1),
Te chrismate innovatum.
Fac, quum, vocante somno,
Castum petis cubile,
Frontem, locumque cordis
Crucis figura signet.
Crux pellit omne crimen:
Fugiunt Crucem tenebrae;
Tali dicata signo
Mens fluctuare nescit.
Procul, o procul vagantum
Portenta somniorum:
Procul esto pervicaci
Praestigiator actu (2),
O tortuose serpens,
Qui mille per meandros,
Fraudesque flexuosas
Agitas quieta corda.
Discede: Christus hic est;
Hic Christus est, liquesce (3):
Signum, quod ipse nosti,
Damnat tuam catervam.
Corpus licet fatiscens
Iaceat recline paullum (4),
Christum tamen sub ipso
Meditabimur sopore.

(1) *Rorem subîsse.* Olim sacro fonte abluendi in aqua lustrali penitus demergebantur; neque aliter, vel aevo Aligheriano, Florentini videntur in Christianorum censum relati. V. Div. Com. Inf. XIX, 17.

(2) *Praestigiator.* Nonnulli *praestrigiator*; de qua vocis notatione cfr. Isid. Orig. VIII, 9.

(3) *liquesce;* metaph. ducta ex iis rebus quae liquefiunt, ac dissolvuntur; evanesce, ex oculis nostris te remove.

(4) *recline* fere omnes; V. Περὶ Στεφ. V. 365. Chamilllardvs tamen legendum nobis proponit, prorsus suum, *reclive.*

VII

HYMNVS IEIVNANTIVM *

Facta invocatione, in ieiunii laudes ingreditur, illustrioribus ex utroque Testamento in medium exemplis abstinentiae prolatis. Omnes ut abstinentiam amplectantur exhortatur, quae tamen ab eleemosyna non sit abiungenda.

O Nazarene, lux Bethlem, Verbum Patris,
Quem partus alvi virginalis protulit,
Adesto castis, Christe, parsimoniis,
Festumque nostrum, rex, serenus adspice,
Ieiuniorum dum litamus victimam.
Nil hoc profecto purius mysterio,
Quo fibra cordis expiatur lividi,
Intemperata quo domantur viscera,
Arvina putrem ne resudans crapulam
Obstrangulatae mentis ingenium premat.
Hinc subiugatur luxus et turpis gula,
Vini atque somni degener socordia,
Libido sordens, inverecundus lepos;
Variaeque pestes languidorum sensuum
Parcam subactae disciplinam sentiunt.

* Ad ieiunium feriae quartae et sextae, quod vocant, hic noster se refert. De feriis esurialibus apud Christianos V. Card. Bonam, *Rer. Liturgicar.* I, 21; Cabassvtivm in *Notit. Saec.* II; et Lvdov. Mvratorivm, *Disquisit. de Ieiuniis trium et quattuor temporum.*

Nam si licenter diffluens potu et cibo
Ieiuna rite membra non coërceas,
Sequitur, frequenti marcida oblectamine
Scintilla mentis ut tepescat nobilis,
Animusque in (1) pigris stertat praecordiis.
Frenentur ergo corporum cupidines,
Detersa ut intus emicet prudentia:
Sic excitato perspicax acumine,
Liberque flatu laxiore spiritus
Rerum Parentem rectius precabitur (2).
Helia tali crevit observantia,
Vetus sacerdos, ruris hospes aridi:
Fragore ab omni quem remotum et segregem
Sprevisse tradunt criminum frequentiam,
Casto fruentem syrtium silentio (3).
Sed mox in auras igneis iugalibus,
Curruque raptus evolavit praepete,
Ne de propinquo sordium contagio
Dirus quietum mundus adflaret virum,
Olim probatis inclitum ieiuniis.
Non ante caeli principem septemplicis
Moses, tremendi fidus interpres throni,
Potuit videre, quam decem recursibus
Quater volutis sol peragrans sidera
Omni carentem cerneret substantia (4).

(1) *Animusque in pigris,* etc. Ad hunc modum verba disposui. Sed Codd. habent: *Animusque pigris stertat in praecordiis;* Giseliniana vero editio: *Animusque pigris stertat ut praecordiis.*

(2) *rectius precabitur.* Docet S. AVGVSTINVS (*in Psalm.* XLII): *Duabus alis orationem in Deum ferri, ieiunio, nempe et eleemosyna.*

(3) *syrtium silentio.* Syrtes de terris desertis, sterilib. atque arenosis. V. LVCAN. *Phars.* III, 295; IX, 447; et nostr. Ἀποθ. 511; Καθημ. XI, 65.

(4) *substantia.* cibo. V. *Exod.* XXXIV.

Victus precantis solus in lacrimis fuit:
Nam flendo pernox, inrigatum pulverem
Humi madentis ore pressit cernuo,
Donec loquentis voce praestrictus Dei (1)
Expavit ignem non ferendum visibus.

Ioannes huius artis haud minus potens,
Dei perennis praecucurrit Filium,
Curvos viarum qui retorsit tramites,
Et, flexuosa corrigens dispendia,
Dedit sequendam calle recto lineam.

Hanc obsequelam (2) praeparabat nuntius,
Mox adfuturo construens iter Deo;
Clivosa planis, confragosa ut lenibus
Converterentur, neve quidquam devium
Inlapsa terris inveniret Veritas.

Non usitatis ortus hic natalibus,
Oblita lactis iam vieto in pectore
Matris tetendit serus infans ubera;
Nec ante partu de senili effusus est,
Quam praedicaret Virginem plenam Deo.

Post in patentes ille solitudines,
Amictus hirtis bestiarum pellibus,
Setisve tectus, hispida et lanugine,
Secessit, horrens inquinari et pollui
Contaminatis oppidorum moribus.

Illic dicata parcus abstinentia
Potum cibumque vir severae industriae
In usque serum respuebat vesperum,

(1) *praestrictus*. Ex codd. manu exaratis. In pluribus editt. *perstrictus*.

(2) *obsequelam*. Plautina haec vox scriptoribus Prudentii aequalibus fuit usitata.

Rarum (1) locustis (2) et favorum agrestium
Liquore pastum corpori suetus dare.
Hortator ille primus, et doctor novae
Fuit salutis: nam sacrato in flumine
Veterum pietas (3) lavit errorum notas;
Sed tincta postquam membra defaecaverat,
Caelo refulgens influebat Spiritus.
Hoc ex lavacro, labe dempta criminum (4),
Ibant renati non secus, quam si rudis
Auri recocta vena pulchrum splendeat,
Micet metalli sive lux argentei,
Sudum polito praenitens purgamine.
Referre prisci stemma (5) nunc ieiunii
Libet, fideli proditum volumine (6),
Ut diruendae civitatis incolis
Fulmen benigni mansuefactum Patris
Pie repressis ignibus pepercerit.

(1) *Rarum*, Heins. ex cod. Puteano. *parvum* Giselinvs et Weitzivs. Alii *parum;* sed recte Giselinvs adnotasse videtur, multo mollius esse *parcum;* « quis enim, ait ille, unquam latine dixit, parvum pastum dare? »

(2) *locustis.* Afros et Orientis populos quosdam [locustas in cibum vel nostris temporibus quaesitare res est explorata.

(3) *Veterum pietas.* Frustra *pie vetustas* e quibusdam codd. descripsit Weitzivs.

(4) *Hoc ex lavacro*, etc. His Prudentii verbis praestat glossulam subiicere, quae in uno cod. Vatic. legitur. Est autem ejusmodi: « Hoc non est auctoratum: nam Ioannes in aqua tantum baptizabat non in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti; ergo illius baptisma nihil proderat, nisi ut Christo viam praepararet baptizaturo ».

(5) Στέμματα erant coronae, quibus maiorum imagines cingebantur. Hoc nomine noster ieiunii nobilitatem vetustatemque denotat.

(6) *volumine* scil. Ionae Prophetae.

Gens insolenti praepotens iactantia
Pollebat olim, quam fluentem nequiter
Corrupta vulgo solverat lascivia,
Et inde bruto (1) contumax fastidio,
Cultum superni negligebat Numinis.
Offensa tandem iugis indulgentiae
Censura, iustis excitatur motibus;
Dextram perarmat rhompheali incendio,
Nimbos crepantes et fragosos turbines
Vibrans, tonantum nube flammarum quatit.
Sed poenitendi dum datur diecula (2),
Si forte vellent improbam libidinem,
Veteresque nugas condomare ac frangere,
Suspendit ictum terror exorabilis,
Paullumque dicta substitit sententia.
Ionam prophetam mitis ultor excitat,
Poenae imminentis iret ut praenuntius;
Sed nosset ille quum minacem iudicem
Servare malle, quam ferire ac plectere,
Tectam latenter vertit in Tharsos fugam.
Celsam paratis pontibus scandit ratem:
Udo revincta fune puppis solvitur;
Itur per altum: fit procellosum mare.
Tum caussa tanti (3) quaeritur periculi:
Sors in fugacem missa vatem decidit.

(1) *bruto.* Bruta dicitur proprie terra, quae sine sensu, quasi immota et gravis manet. V. Hor. *Lyric.* I, 34, 9. Translate de homine bardo. V. Senec. *De Benef.* III, 37. *Brutum fastidium* est stolida superbia.

(2) *diecula.* Quanam ratione liceat temporis spatium dimetiri Ninivitis permissum, ut se ad meliorem frugem reciperent, V. S. Avgvst. *De Civ. Dei,* XVIII, 44.

(3) *caussa tanti,* duo Naticc. vestutior., et Heins.; *causa tanta* Weitzivs atque Cellarivs.

Iussus perire solus e cunctis reus,
Cuius voluta crimen urna expresserat,
Praeceps rotatur, et profundo immergitur;
Exceptus inde belluinis faucibus,
Alvi capacis vivus hauritur specu.
Transmissa raptim praeda cassos dentium
Eludit ictus, incruentam transvolans
Impune linguam, ne retentam mordicus
Offam molares dissecarent uvidi (1):
Os omne transit, et palatum praeterit.
Ternis dierum ac noctium processibus
Mansit ferino devoratus gutture:
Errabat illic per latebras viscerum;
Ventris meandros circuibat tortiles
Anhelus, extis intus aestuantibus.
Intactus exin tertiae noctis vice
Monstri vomentis pellitur singultibus,
Qua murmuranti fine fluctus frangitur,
Salsosque candens spuma tundit pumices:
Ructatus exit, seque servatum stupet.
In Ninivitas se coactus percito
Gressu reflectit; quos ut increpaverat,
Pudenda censor imputans opprobria,
Impendet, inquit, ira summi Vindicis
Urbemque flamma mox cremabit, credite.
Apicem deinde ardui montis petit,
Visurus inde conglobatum turbidae
Fumum ruinae, cladis et dirae struem,
Tectus flagellis multinodi germinis (2),
Nato et repente perfruens umbraculo.

(1) *uvidi,* codicc. potiores Vaticani et Heinsiani. In glossa unius Vaticani legimus: « Uvidi dicuntur molares, quia semper saliva perluuntur ». Amoveo procul *vividi* Nebrissensis, cui adsentitur Aldus.

(2) *flagellis.* Sunt flagella arborum surculi, et virgae flexiles. Sarmenta vitium, etc. V. Virg. *Georg.* II, 299.

Sed moesta postquam civitas vulnus novi
Hausit doloris, heu! supremum palpitat:
Cursant per ampla congregatim moenia
Plebs et Senatus, omnis aetas civium,
Pallens iuventus, eiulantes foeminae.

Placet frementem publicis ieiuniis
Placare Christum; mos edendi spernitur.
Glaucos amictus induit monilibus
Matrona demptis; proque gemma et serico
Crinem fluentem sordidus spargit cinis.

Squalent recincta veste (1) pullati patres,
Setasque plangens turba sumit textiles:
Impexa villis virgo bestialibus,
Nigrante vultum contegit velamine;
Iacens arenis et puer provolvitur.

Rex ipse, Coos aestuantem murices
Laenam revulsa dissipabat fibula;
Gemmas virentes et lapillos sutiles,
Insigne frontis exuebat vinculum,
Turpi capillos impeditus pulvere.

Nullus bibendi, nemo vescendi memor.
Ieiuna mensas pubes (2) omnis liquerat;
Quin et, negato lacte, vagientium
Fletu madescunt parvulorum cunulae,
Succum papillae parca nutrix derogat.

(1) *recincta veste*, etc. V. VIRG. *Aen.* IV, 518 de Didone.

(2) *pubes*, in plerisq. codd. Vaticc. et WEITZIVS. — *pubis*, codd. Putean., duo Torrentiani, et HEINSIVS. Iam nostrum vidimus in Καθημέρ. V, 69. Utramque vocis positionem in casu recto veteres usurparunt. V. PRISC. VI, p. 707.

Greges et ipsos claudit armentalium
Sollers virorum cura, ne vagum pecus
Contingat ore rorulenta gramina,
Potum strepentis neve fontis hauriat:
Vacuis querelae personant praesepibus.

Mollitus his et talibus brevem Deus
Iram refrenat, temperans oraculum
Prosper sinistrum; prona nam clementia
Haud difficulter supplicem mortalium
Solvit reatum, fitque fautrix flentium.

Sed cur vetustae gentis exemplum loquor?
Pridem caducis quum gravatus artubus
Iesus, dicato corde, ieiunaverit,
Praenuncupatus ore qui prophetico
Emmanuel est, sive *nobiscum Deus.*

Qui corpus istud molle naturaliter,
Captumque laxo sub voluptatum iugo,
Virtutis arcta lege fecit liberum,
Emancipator servientis plasmatis,
Regnantis ante victor et cupidinis.

Inhospitali namque secretus loco
Quinis diebus octies labentibus,
Nullam ciborum vindicavit gratiam,
Firmans salubri scilicet ieiunio
Vas adpetendis imbecillum gaudiis (1).

Miratus hostis posse limum tabidum
Tantum laboris sustinere ac perpeti
Explorat arte sciscitator callida,
Deusne membris sit receptus terreis
Sed, increpata fraude, post tergum ruit.

(1) *vas. Vas* transl. pro eo quod est corpus, animi receptaculum et custodia. V. ALIGHER. *Inferor.* II, 28; et XXII, 82.

Hoc nos sequamur quisque nunc pro viribus,
Quod consecrati tu, magister dogmatis,
Tuis dedisti, Christe, sectatoribus.
Ut, quum vorandi vicerit (1) libidinem,
Late triumphet imperator spiritus.
Hoc est, quod atri livor hostis invidet,
Mundi polique quod gubernator probat,
Altaris aram (2) quod facit placabilem,
Quod dormientis excitat cordis fidem,
Quod limat aegram pectoris rubiginem.
Perfusa non sic amne flamma extinguitur,
Nec sic, calente sole, tabescunt nives,
Ut turbidarum scabra culparum seges
Vanescit almo trita sub ieiunio,
Si blanda semper misceatur largitas (3).
Est quippe et illud grande virtutis genus
Operire nudos, indigentes pascere,
Opem benignam ferre supplicantibus,
Unam, paremque sortis humanae vicem
Inter potentes atque egenos ducere.
Satis beatus quisque dextram porrigit
Laudis rapacem, prodigam pecuniae,
Cuius sinistra dulce factum nesciat (4):
Illum perennes protinus complent opes,
Ditatque fructus foenerantem centuplex.

(1) *vicerit*. E veterib. mss., cui lectioni WEITZIVS et CHAMILLARD. sunt adstipulati. HEINSIVS et CELLARIVS: *vicerint*. Nos hic prae Bodoniana priorem lect. sequimur, quam describit GISEL.

(2) *Altaris aram*. De discrimine inter aram et altare vide, sis, AVSONII POPMAE, *De differentiis verbor*. Augustae Taurinor. ex offic. Asceterii Sales. an. MDCCCLXV.

(3) *Si blanda* etc. Si lautiores, in feriis esurialibus parciore mensa usi, egentibus largius succurrant. De hac re V. S. AVGVST. Serm. XVIII, *De Tempore*.

(4) *nesciat*. V. S. MATTH. VI, 3.

VIII

HYMNVS POST IEIVNIVM

Dei in nos indulgentiam commendat, qui levi obsequio contentus, quod illi per abstinentiam tribuimus, permittat ut ieiunia largiore cibo solvamus. Salubrem cibum animae corporique precatur.

Christe, servorum regimen tuorum,
Mollibus qui nos moderans habenis,
Leniter frenas, facilique septos
Lege coërces,
Ipse quum, portans onus impeditum
Corporis, duros tuleris labores,
Maior exemplis, famulos remisso
Dogmate palpas.
Nona submissum rotat hora (1) solem,
Partibus vixdum tribus evolutis;
Quarta devexo superest in axe
Portio lucis.
Nos brevis voti, dape vindicata
Solvimus festum, fruimurque mensis
Adfatim plenis, quibus imbuatur
Prona voluptas.
Tantus aeterni favor est magistri,
Doctor indulgens ita nos amico
Lactat hortatu, levis obsequela ut
Mulceat artus.

(1) *hora*. Nona hora, quae tertia est a meridie, ieiunium finiebatur.

Addit et, ne quis velit invenusto
Sordibus cultu lacerare frontem;
Sed decus vultus, capitisque pexum
Comat honorem.

Terge ieiunans, ait, omne corpus;
Neve subducto faciem rubore
Luteus tinguat (1) color, aut notetur
Pallor in ore.

Rectius laeto tegimus pudore
Quidquid ad cultum Patris exhibemus:
Cernit occultum Deus, et latentem
Munere donat.

Ille ovem morbo residem, gregique
Perditam sano, male dissipantem
Vellus adfixis vepribus per hirtae
Devia silvae,

Impiger pastor revocat, lupisque
Gestat exclusis, humeros gravatus:
Inde purgatam revehens aprico
Reddit ovili.

Reddit et pratis, viridique campo,
Vibrat impexis ubi nulla lappis
Spina, nec germen sudibus perarmat
Carduus horrens;

Sed frequens palmis nemus, et reflexa
Vernat herbarum coma (2), tum perennis
Gurgitem vivis vitreum fluentis
Laurus obumbrat.

(1) *tinguat* pro *tingat*. Sic Καθημ. X, 100 I, et alibi.

(2) *coma*. Comae telluris per metaph. vocantur herbae, flores, et segetes, quibus tellus ornatur. Haud aliter arborum comae pro frondibus, V. Hor. *Lyric.* IV, 7, 2.

Hisce pro donis tibi, fide Pastor,
Servitus quaenam poterit rependi?
Nulla compensant pretium salutis
Vota precantum.
Quamlibet, spreto sine more pastu,
Sponte confectos tenuemus artus,
Teque, contemptis epulis, rogemus
Nocte dieque:
Vincitur semper minor obsequentum
Cura, nec munus Genitoris aequat;
Frangit et cratem luteam (1) laboris
Grandior usus.
Ergo, ne limum fragilem solutae
Deserant vires, et aquosus albis
Humor in venis dominetur, aegrum
Corpus enervans,
Laxus ac liber modus abstinendi
Ponitur cunctis; neque nos severus
Terror impellit: sua quemque cogit
Velle potestas (2).
Sufficit, quidquid facias, vocato
Numinis nutu prius, inchoare,
Sive tu mensam removes (3), cibumve
Sumere tentas.
Adnuit dexter Deus, et secundo
Prosperat vultu; velut hoc salubre

(1) *luteam*. Corpus humanum, ex argilla et luto fictum, instar cratis, ob nimium laborem frangitur.

(2) *potestas*. Quisque modum in ieiunio statuit, qui sibi conveniens videatur.

(3) *Sive tu... removes*. Ita legendum existimo. — Heinsivs: *Sive tu mensam renuas, cibumque sumere temptes*. — Weitzivs, uno Vaticano innixus perantiquo: *Sive tu mensam renoves, cibumve sumere temptes*. Haec ipsa in Bodon. nostra edit. leguntur a qua me removi

Fidimus nobis fore, quod dicatas
Carpimus escas.
Sit bonum, supplex precor, et medelam
Conferat membris, animumque pascat
Sparsus in venas cibus obsecrantum
Christicolarum.

IX

HYMNVS OMNIS HORAE

Hymnus est totus in laudem Redemptoris nostri, cuius poëta duplicem innuit nativitatem, aeternam scilicet et temporalem. Miraculis nonnullis Christi commemoratis, praecipuas eius vitae res gestas percenset, quas celebrandas proponit.

Da, puer, plectrum, choreis ut canam fidelibus
Dulce carmen et melodum, gesta Christi insignia:
Hunc Camoena nostra solum pangat, hunc laudet lyra.
Christus est, quem rex sacerdos (1) adfuturum [protinus
Infulatus concinebat voce, chorda, et tympano,
Spiritum caelo influentem per medullas hauriens.
Facta nos, et iam probata pangimus miracula:
Testis orbis est; nec ipsa terra quod vidit, negat,
Comminus Deum docendis proditum mortalibus.
Corde fusus (2) ex Parentis ante mundi exordium,
Alpha et Ω cognominatus; ipse fons et clausula
Omnium, quae sunt, fuerunt, quaeque post futura [sunt.

(1) *rex sacerdos*. David, qui ab Alligherio dictus est « il Cantor dello Spirito Santo » (*Parad*. XX, 38).

(2) *Fusus*. Heins. E contrario Giselinvs et Weitzivs, codicum auctoritate freti, legunt *natus*.

Ipse iussit, et creata; dixit ipse, et facta sunt
Terra, caelum, fossa ponti, trina rerum machina,
Quaeque in his vigent sub alto solis et lunae globo.

Corporis formam caduci, membra morti obnoxia
Induit, ne gens periret primoplasti (1) ex germine,
Merserat quam lex profundo noxialis (2) tartaro.

O beatus ortus ille, Virgo quum puerpera
Edidit nostram salutem, foeta Sancto Spiritu,
Et Puer redemptor orbis os sacratum protulit!

Psallat altitudo caeli, psallite omnes Angeli,
Quidquid est virtutis usquam psallat in laudem Dei:
Nulla linguarum silescat, vox et omnis consonet.

Ecce, quem vates vetustis concinebant saeculis,
Quem prophetarum fideles paginae spoponderant,
Emicat, promissus olim: cuncta conlaudent eum.

Cantharis infusa lympha fit falernum nobile (3):
Nuntiat vinum minister esse promtum ex hydria;
Ipse rex (4) sapore tinctis obstupescit poculis.

Membra morbis ulcerosa, viscerum putredines
Mando ut abluantur, inquit; fit ratum quod iusserat:
Turgidam cutem repurgant vulnerum piamina.

(1) *primoplasti*. Vaticanor. codd. pars melior. — CELLARIVS FABRICIVSQVE: *protoplasti*. Hoc nomine apellavit TERTVLL. Adamum et Hevam, qui primi humani generis parentes fuerunt. V. *Exortat ad Castit.* 2.

(2) *noxialis:* noxia, damnosa. V. Περὶ Στεφ. XIV, 1107.

(3) Christi prodigia, quae in hoc hymno et Apotheosi memorantur, vetustiores Christiani in tabulis pictis, in marmore, lucernis et vitro repraesentare consueverunt. V. ARINGHIVM, *Roma Subterr.;* BONARROTIVM, *Observat. in nummis Mus. Carpinei;* BOTTARIVM in opere, cui titul. *Delle pitture e scolture della Roma Sotterranea.*

(4) *Rex*. Convivii rex seu magister, qui et graece βασιλεύς, συμποσίαρχος aut ἀρχιτρίκλινος.

Tu perennibus tenebris iam sepulta lumina
Inlinis limo salubri, sacri et oris nectare;
Mox apertis hac medela lux reducta est orbibus.
Increpas ventum furentem, quod procellis tristibus
Vertat aequor fundo ab imo, vexet et vagam ratem:
Ille iussis obsecundat, mitis unda sternitur.
Extimum vestis sacratae furtim mulier attigit:
Protinus salus secuta est; ora pallor deserit,
Sistitur rivus, cruore qui fluebat perpeti.
Exitu dulcis iuventae raptum ephebum viderat,
Orba quem mater supremis funerabat fletibus:
Surge, dixit; ille surgit, matri et adstans redditur.
Sole iam quarto carentem, iam sepulcro absconditum
Lazarum iubet vigere, reddito spiramine:
Foetidum iecur reductus rursus intrat halitus.
Ambulat per stagna ponti, summa calcat fluctuum;
Mobilis liquor profundi pendulam praestat viam,
Nec fatiscit unda sanctis pressa sub vestigiis.
Suetus antro bustuali (1) sub catenis frendere,
Mentis impos, efferatis percitus furoribus
Prosilit, ruitque supplex, Christum adesse ut senserat.
Pulsa pestis lubricorum milleformis (2) daemonum,
Corripit gregis suilli sordida spurcamina,
Seque nigris mergit undis, ut pecus lymphaticum (3).
Quinque panibus peresis, et gemellis piscibus,
Adfatim refecta iam sunt accubantum millia;
Fertque qualus ter quaternus ferculorum fragmina (4).

(1) *bustuali:* sepulcrali. V. *Diptycon,* XXXVI.

(2) *milleformis;* et in duob. Vaticc. *milliformis*, vox est Prudentiana. Italice *milleforme (Vers. del buon secolo della Città di Dio di S. Agost.* XIX, 23); vel *moltiforme.*

(3) *lymphaticum:* in furorem actum; non autem in aquam se immergens, uti perverse enarrat Cellarius.

(4) *Fertque qualus* etc. In editione Bodoniana, hic versus medius est inter 58 et 60. Nos, Giselinum secuti, post 58 describendum curavimus.

Tu cibus, panisque noster, tu perennis suavitas:
Nescit esurire in aevum, qui tuam sumit dapem;
Nec lacunam ventris implet, sed fovet vitalia.
Clausus aurium meatus, et sonorum nescius,
Purgat ad praecepta Christi crassa quaeque obstacula,
Vocibus capax fruendis, ac susurris pervius.
Omnis aegritudo cedit, languor omnis pellitur,
Lingua fatur, quam veterna vinxerant silentia;
Gestat et suum per urbem laetus aeger lectulum.
Quin et ipsum, ne salutis inferi expertes forent,
Tartarum benignus intrat: fracta cedit ianua,
Vectibus cadit revulsis cardo dissolubilis (1).
Illa prompta ad inruentes, ad revertentes tenax,
Obice extrorsum repulso (2), porta reddit mortuos,
Lege versa, et limen atrum iam recalcandum patet.
Sed Deus dum luce fulva mortis antra inluminat,
Dum stupentibus tenebris candidum praestat diem,
Tristia squalentis aethrae palluerunt sidera.
Sol refugít, et lugubri sordidus ferrugine
Igneum reliquit axem, seque moerens abdidit:
Fertur horruisse mundus noctis aeternae chaos.
Solve vocem mens sonoram, solve linguam mobilem;
Dic tropaeum passionis, dic triumphalem Crucem:
Pange vexillum, notatis quod refulget frontibus.
O novum, caedes stupenda, vulneris miraculum!
Hinc cruoris fluxit unda, lympha parte ex altera (3);
Lympha nempe dat lavacrum, tum corona ex san-
[guine est.

(1) *dissolubilis*. Nonnulli codd. apud Heins. *indissolubilis*, quae lectio intellectum facit.

(2) *repulso*. Cod. Putean. et Heins. — Quinque Vaticc. *recluso*, quod placet Weitzio.

(3) *parte ex altera*. V. Περὶ Στεφ. VIII, 5.

Vidit anguis immolatam corporis sacri hostiam;
Vidit, et fellis perusti mox venenum perdidit,
Saucius dolore multo colla fractus sibila (1).
Quid tibi, profane serpens, profuit rebus novis
Plasma primum perculisse versipelli hortamine (2)?
Diluit culpam recepto forma mortalis Deo.
Ad brevem se mortis usum dux salutis dedidit,
Mortuos olim sepultos ut redire insuesceret,
Dissolutis pristinorum vinculis peccaminum.
Tunc patres, sanctique multi conditorem praevium
Iam revertentem secuti, tertio demum die
Carnis indumenta sumunt, eque bustis prodeunt.
Cerneres coïre membra de favillis aridis,
Frigidum, venis resumptis, pulverem tepescere:
Ossa, nervos, ac medullas glutino cutis tegi.
Post, ut occasum resolvit (3), vitae et hominem red-
Arduum tribunal alti victor adscendit Patris, [didit,
Inclitam caelo reportans passionis gloriam.
Macte iudex mortuorum, macte rex viventium,
Dexter in Parentis arce qui cluis (4) virtutibus,
Omnium venturus inde iustus ultor criminum.
Te senes, et te iuventus, parvulorum te chorus,
Turba matrum virginumque, simplices puellulae,
Voce concordes pudicis perstrepant concentibus.
Fluminum lapsus et undae, litorum crepidines,
Imber, aestus, nix, pruina, silva, et aura, nox, dies,
Omnibus te concelebrent saeculorum saeculis.

(1) *colla sibila*. V. Virg. *Georg.* III, 421; *Aen.* V, 277. — Falso *sibilas* Fabricivs legit.

(2) *versipelli hortamine.* Codd. Vaticc. praestantiores et Weitzivs. — *versipelli astutia,* Chamillardvs et Cellarivs, quibus calculum non adiiciam; vereor enim ne τὸ *astutia*, aliqua sit γλῶσσα.

(3) *occasum resolvit:* mortem amovit.

(4) *cluis,* ἀρχ. pro *clues*. V. *Contra Symm.* II, 584.

X

HYMNVS IN EXSEQVIIS DEFVNCTORVM

Quum homo sit ex anima et corpore compositum, resolvi corpus aliquando in morte oportet. Sed status ad quem mors hominem redigit perpetuus non est. Hoc ex cura luculente probatur, quae cadaveribus et sepulcris impenditur; officium vero defunctorum corpora curandi gratissimum esse Deo, demonstrat historia Tobiae. Si autem certissima nos manet spes, corpora mortuorum esse revictura, lacrimis, quibus eorum interitum prosequimur, modus est ponendus, atque mors tamquam vitae reparatio consideranda.

Deus, ignee fons (1) animarum,
Duo qui socians elementa,
Vivum simul ac moribundum (2)
Hominem, Pater, effigiasti (3),
Tua sunt, tua, rector, utraque;
Tibi copula iungitur horum:
Tibi dum vegetata cohaerent,
Et spiritus et caro servit.
Rescissa sed ista seorsum
Solvunt hominem perimuntque;
Humus excipit arida corpus,
Animae rapit aura liquorem.

(1) *Deus, ignee fons.* Ad Sacrarum Scripturarum locos respexit noster, ubi Deus appellatur ignis. Potuit etiam in memoriam revocare stoicorum doctrinam, quibus anima humana θερμὸν πνεῦμα fuit. Vide sis Virg. *Georg.* IV, 220; *Aen.* VI, 730.

(2) *moribundum:* morti obnoxium.

(3) *hominem effigiasti.* Videbimus infra *effigiare animam.* De verbo *effigiare* quo usus est etiam, praeter A. Gellium (xvII, 17), Sidon. Ep. VI, 12. V., cfr. Dvcangii, *Glossar. Lat.*

Quia cuncta creata necesse est
Labefacta senescere tandem,
Compactaque dissociari,
Et dissona texta retexi.

Hanc tu, Deus optime, mortem
Famulis abolere paratus,
Iter inviolabile monstras,
Quo perdita membra resurgant ;

Ut, dum generosa caducis,
Ceu carcere clausa, ligantur,
Pars illa potentior extet,
Quae germen ab aethere traxit.

Si terrea forte voluntas
Luteum sapit, et grave captat,
Animus quoque, pondere victus,
Sequitur sua membra deorsum.

At si, generis memor ignei (1),
Contagia pigra recuset,
Vehit hospita viscera secum,
Pariterque reportat ad astra.

Nam quod requiescere corpus
Vacuum sine mente videmus,
Spatium breve restat, ut alti
Repetat collegia sensus (2).

Venient cito saecula, quum iam
Socius calor ossa revisat,
Animataque sanguine vivo
Habitacula pristina gestet.

(1) *ignei.* Bissyll. per syniz. — WEITZIVS, uno Vatic. fretus: *ignis.*

(2) *alti Repetat collegia sensus.* Scilicet, ut animae corpus iterum coniungatur.

Quae pigra cadavera pridem
Tumulis putrefacta iacebant,
Volucres rapientur in auras,
Animas comitata priores.
Hinc maxima cura sepulcris
Impenditur: hinc resolutos
Honor ultimus accipit artus,
Et funeris ambitus (1) ornat.
Candore nitentia claro
Praetendere lintea mos est,
Adspersaque myrrha Sabaeo
Corpus medicamine servat.
Quidnam sibi saxa cavata,
Quid pulchra volunt monumenta (2),
Res nisi quod creditur illis
Non mortua, sed data somno (3)?
Hoc provida Christicolarum
Pietas studet, utpote credens
Fore protinus omnia viva,
Quae nunc gelidus sopor urguet.
Qui iacta cadavera passim
Miserans tegit aggere terrae,
Opus exhibet ille benignum (4)
Christo pius omnipotenti.

(1) *funeris ambitus:* pompa funeris.

(2) *quid pulchra monumenta...* TVLLIVS (*Quaest. Tusc.* I, 12), excessu vitae hominem non deleri sic, ut funditus intereat, ait licere intelligi, « quum multis aliis rebus, tum e pontificio iure et ceraemoniis sepulcrorum. »

(3) *data somno.* Christianorum corpora in sepulcretis *dormire* dicebantur, uti ex inscriptionibus eruitur, quas Muratorius, Fabbrettus, Marangonius, Rossius, aliique in unum collectas illustrarunt. Ob hanc causam nos locum illum sacrum, ubi corpora defunctorum rite conduntur, vocamus *coemeterium*, voce e Graecis ducta, quae latine *dormitorium* significat.

(4) *opus... benignum.* V. S. AVGVSTINI lib. cui titulus: *De cura pro mortuis gerenda.*

Quin lex eadem monet omnes
Gemitum dare sorte sub una,
Cognataque funera nobis
Aliena in morte dolere.

Sancti sator ille Tobiae,
Sacer ac venerabilis heros,
Dapibus iam rite paratis
Ius praetulit exsequiarum.

Iam stantibus ille ministris,
Cyathos et fercula liquit,
Studioque accinctus humandi,
Fleto dedit ossa sepulcro (1).

Veniunt mox praemia caelo,
Pretiumque rependitur ingens;
Nam lumina nescia solis
Deus inlita felle serenat (2).

Iam tunc docuit Pater orbis
Quam sit rationis egenis
Mordax et amara medela,
Quum lux animum nova vexat.

Docuit quoque non prius ullum
Caelestia cernere regna,
Quam nocte et vulnere tristi
Toleraverit aspera mundi.

Mors ipsa beatior inde est,
Quod per cruciamina leti
Via panditur ardua iustis,
Et ad astra doloribus itur.

(1) *fleto... sepulcro.* Ita codd. praestantiores; Heins. et Aldvs. — Lectio *fleta ossa* metri legibus obnititur. Sunt qui legant *fletu*

(2) *inlita felle.* Scil. piscis.

Sic corpora mortificata
Redeunt melioribus annis;
Nec post obitum recalescens
Compago fatiscere novit.

Haec, quae modo pallida tabo
Color albidus inficit ora,
Tunc flore venustior omni
Sanguis cute tinguet amoena.

Iam nulla deinde senectus
Frontis decus invida carpet;
Macies neque sicca lacertos
Succo tenuabit adeso.

Morbus quoque pestifer, artus
Qui nunc populatur anhelos,
Sua tunc tormenta resudans (1)
Luet inter vincula mille.

Hunc eminus aëre ab alto
Victrix caro, iamque perennis
Cernet sine fine gementem,
Quos moverat ipse, dolores.

Quid turba superstes, inepta
Clangens ululamina miscet?
Cur tam bene condita iura
Luctu dolor arguit amens?

Iam moesta quiesce querela;
Lacrimas suspendite, matres:
Nullus sua pignora plangat;
Mors haec reparatio vitae est.

(1) *sua tormenta resudans.* Hosti poëta morbum confert, qui, quum corpus multis cruciatibus affecisset, ipse poenas tandem crudelitatis suae luat.

Sic semina sicca virescunt (1)
Iam mortua, iamque sepulta,
Quae reddita cespite ab imo
Veteres meditantur aristas (2).
Nunc suscipe terra fovendum,
Gremioque hunc concipe molli:
Hominis tibi membra sequestro,
Generosa et fragmina credo.
Animae fuit haec domus olim
Factoris ab ore creatae:
Fervens habitavit in istis
Sapientia, principe Christo.
Tu depositum tege corpus:
Non immemor illa requiret
Sua munera fictor et auctor,
Propriique aenigmata vultus (3).
Veniant modo tempora iusta,
Quum spem Deus impleat omnem (4),
Reddas patefacta necesse est,
Qualem tibi trado figuram.
Non, si cariosa vetustas (5)
Dissolverit ossa favillis,
Fueritque ciniscolus arens
Minimi mensura pugilli;

(1) *Sic semina sicca virescunt.* Cfr. S. Paul. I ad Corinth. xv.

(2) *meditantur*, pulcre cum Giselino plerique omnes. Quidam *imitantur*.

(3) *aenigmata:* lineamenta quaedam deformata.

(4) *Quum Deus spem impleat omnem.* Sapienter igitur Petrarca Lauram suam iam caelo receptam secum ita loquentem facit: « *Mio ben non cape in intelletto umano; Te solo aspetto, e quel che tanto amasti, E laggiuso è rimaso, il mio bel velo* ». (*In morte di Mad. Laura,* XXXIV). V. S. Avgvst. *De Gen ad lit.* L. XII, 35.

(5) *Cariosa vetustas.* Cariosus est quidquid cariem concipit. V. Prvd *Contra Symm.* I. 434.

Nec, si vaga flamina, et aurae
Vacuum per inane volantes,
Tulerint cum pulvere nervos,
Hominem periisse licebit.
Sed dum resolubile corpus
Revocas, Deus, atque reformas,
Quanam regione iubebis
Animam requiescere puram?
Gremio senis abdita (1) sancti
Recubabit, ut illa Lazari (2),
Quem floribus undique septum
Dives procul adspicit ardens.
Sequimur tua dicta, Redemptor,
Quibus, atra e morte triumphans,
Tua per vestigia mandas
Socium crucis ire latronem (3).
Patet, ecce, fidelibus ampli
Via lucida iam paradisi;
Licet et nemus illud adire,
Homini quod ademerat anguis.
Illic, precor, optime ductor,
Famulam tibi praecipe mentem
Genitali in sede sacrari,
Quam liquerat exul et errans.
Nos tecta fovebimus ossa
Violis et fronde frequenti (4);
Titulumque et frigida saxa
Liquido spargemus odore.

(1) *abdita,* cum Giselino; in edit. nostra Parmensi *addita.*
(2) *ut illa Lazari.* In quattuor codd. Vaticc.: *ut est Eleazar; ubi est Eleazar* describit Giselinvs. Nos Bodonianam edit. sequuti, tamen animadvertimus *Eleazarum* et *Lazarum* omnino συνώνυμα esse.
(3) *socium crucis.* V. S. Luc. xxiiI, 43.
(4) *Violis* etc. Floreas coronas a defunctis olim christianos

XI

HYMNVS OCTAVO KALENDAS IANVARIAS *

Diem natalem Christi Domini celebrat, cuius aeternam a Patre originem ductam agnoscit. Pastores non solum, sed muta etiam animalia ei testimonium perhibuisse ait; incredulosque redarguit Iudaeos, quibus denuntiat, venturum eum esse aliquando bonorum improborumque iudicem.

Quid est, quod arctum circulum (1)
Sol iam recurrens deserit?
Christusne terris nascitur,
Qui lucis auget tramitem?
Heu quam fugacem gratiam
Festina volvebat dies!
Quam paene subductam facem
Sensim recisa extinxerat!
Caelum nitescat laetius,
Gratetur et gaudens humus:
Scandit gradatim denuo
Iubar priores lineas.
Emerge, dulcis Pusio (2),

procul tenuisse satis constat. Tunc demum flores adhiberi caepti sunt in Christianorum funeribus, quum veterum superstitiones desierunt. V. MAMACH. *Orig. et Antiquit. Christianar.* Tom. I, Libr. I, 3, § 28.

* In nonnullis codd. « Hymnus Natalis Domini. »

(1) *Quid est* etc. Cfr. S. AVGVST. Serm. CCLXXXII, et CCXCII.

(2) *pusio:* parvus puer. Pusio est deminut. pusi. Nos: *bamboletto, fancellino.*

Quem mater edit castitas (1),
Parens et expers coniugis,
Mediator et duplex genus.
Ex ore quamlibet Patris
Sis ortus, et verbo editus,
Tamen paterno in pectore
Sophia callebas prius;
Quae prompta caelum condidit,
Caelum, diemque, et cetera:
Virtute Verbi effecta sunt
Haec cuncta; nam Verbum Deus.
Sed, ordinatis saeculis,
Rerumque digesto statu,
Fundator ipse et artifex
Permansit in Patris sinu,
Donec rotata annalium
Transvolverentur millia,
Atque ipse peccantem diu
Dignatus orbem viseret.
Nam caeca vis (2) mortalium
Venerans inanes naenias (3),
Vel aera, vel saxa algida,
Vel ligna credebat Deum.
Haec dum sequuntur, perfidi
Praedonis in ius venerant,
Et mancipatam fumido
Vitam barathro immerserant (4).

(1) *mater*. Omnes codd. mss. apud Heins. et in primis Vaticc. praestantiores. — Weitzivs et Cellarivs: *matris*.

(2) *vis:* multitudo, celebritas. V. Liv. VIII, 28; Tvll. *Tusc. Quaest.* V, 32.

(3) *naenias*. Naeniae dictae sunt etiam res inanes, versibus nugatoriis expressae. V. Hor. I, Ep. 1, 62; Phaedr. III *Prol.*

(4) *barathro*. Τὸ Βάραθρον locus fuit Athenis in altis-

Stragem sed istam non tulit
Christus cadentum gentium
Impune ; ne forsan sui
Patris periret fabrica,
Mortale corpus induit,
Ut, excitato corpore,
Mortis catenam frangeret,
Hominemque portaret Patri.
Hic ille natalis dies,
Quo te creator arduus
Spiravit, et limo indidit,
Sermone (1) carnem glutinans.
Sentisne, Virgo nobilis (2),
Matura per fastidia
Pudoris intactum decus
Honore partus crescere?
O quanta rerum gaudia
Alvus pudica continet!
Ex qua novellum saeculum
Procedit, et lux aurea.
Vagitus ille exordium
Vernantis orbis prodidit;
Nam tunc renatus sordidum
Mundus veternum depulit (3).

simam profunditatem depressus, quo noxii ad mortem damnati praecipites deiiciebantur. Hinc profunda vorago.

(1) *Sermone carnem glutinans.* « Uniens carnem cum aeterna Filii sui Persona τῷ λόγῳ. » CELLAR. V. Ἀποθ. 35-54.

(2) *Sentis ne* etc. Poëtice dictum; opportune enim FABRICIVS hic mirabundus ait: « *minime sentis!* quippe Virginem Mariam putant SS. Ecclesiae Patres iis incommodis non fuisse obnoxiam, quibus feminae, ventrem gerentes, laborare consueverunt ».

(3) *Mundus veternum depulit.* V. S. PAVLIN. NOL. in Nativitate, S. FELICIS Carm. XII, 48, et ALEX. MANZONIVM: *I Natale*, v. 36 et seqq.

Sparsisse tellurem reor
Rus omne densis floribus,
Ipsasque arenas syrtium
Fragrasse nardo et nectare.
Te cuncta nascentem, Puer,
Sensere dura et barbara,
Victusque saxorum rigor
Obduxit herbam cotibus.
Iam mella de scopulis fluunt,
Iam stillat ilex arido
Sudans amomum stipite;
Iam sunt myricis balsama.
O sancta praesepis tui,
Aeterne Rex, cunabula,
Populisque per saeclum sacra
Mutis et ipsis credita!
Adorat haec brutum pecus (1);
Indocta turba scilicet,
Adorat excors natio,
Vis cuius in pastu sita est.
Sed quum fideli spiritu
Concurrat ad praesepia
Pagana gens (2), et quadrupes,
Sapiatque quod brutum fuit,
Negat patrum prosapia,
Perosa praesentem Deum:
Credas venenis ebriam,
Furiisve lymphatam rapi.

(1) *Adorat haec brutum pecus.* « A priscis usque saeculis manavit ad nos pictura, quae Iesu praesepi addit bovem et asinum, quod tamen in sacris litteris nusquam aperte proditum est. » Erasm. Roterod.

(2) *pagana gens* etc. Pastores, qui pagos et mapalia proxime Bethleem incolerent.

Quid prona per scelus ruis?
Agnosce, si quidquam tibi
Mentis resedit integrae,
Ducem tuorum principum.
Hunc, quem latebra (1) et obstetrix,
Et Virgo feta, et cunulae,
Et imbecilla infantia,
Regem dederunt gentibus,
Peccator, intueberis
Celsum coruscis nubibus,
Deiectus ipse, et inritis
Plangens reatum fletibus,
Quum vasta signum buccina
Terris cremandis miserit,
Et scissus axis cardinem
Mundi ruentis solverit.
Insignis ipse et praeminens
Meritis rependet congrua;
His lucis usum perpetis,
Illis gehennam et tartarum.
Iudaea, tunc fulmen Crucis (2)
Experta, qui sit, senties,
Quem, te furoris praesule (3),
Mors hausit, et mox reddidit.

(1) *latebra*. Heinsivs. — Codd. Vaticc. partim habent *latebra*, partim *latebrae*.

(2) *tunc fulmen Crucis*. Erasmvs Roterodam. qui in restituendo hoc hymno a sciolo quodam depravato multum fuit, hunc locum ita enarrat: « O Iudaeorum incredula natio. quae Christum priori adventu noluisti agnoscere, sed clamasti, « Crucifige, crucifige! ...», tunc quum videbis triumphale signum Crucis e sublimi, fulminis ritu, perstringens oculos impiorum, per hoc agnosces quis et qualis sit ille pridem contemptus ».

(3) *Te praesule furoris*. « Hoc est te auctore mortis, quae Pilatum invitum adegisti ad impium facinus. » Erasm.

XII

HYMNVS EPIPHANIAE

In hoc carmine venuste Prudentius stellam, Christi praenuntiam, primum extollit, quam Magi secuti, Bethlehem venerunt, natumque ibi Dominum, oblatis muneribus, venerati sunt; tum immanem ad Christum perdendum infantium stragem ab Herode editam fuse prosequitur; qua strage Christum involvi non potuisse, in iis, quae Moysi contigerunt, praefiguratum fuisse demonstrat. Hic vero in editione Bodoniana, quae sequuntur legimus notatu digna: « Cl. Martene, *De Ant. Eccl. Ritib.* » T. iii lib. 4, c. 14 ubi de antiquissima hac festivitate plu» ribus agit, memoriae forte lapsu Prudentium pro Sedulio » reposuit. Nam probaturus triplicem Christi manifestationem, » adorationem scilicet eius per Magos, Baptismum, et primum » miraculum, quod contigit in Cana Galileae hoc Epiphaniae » festo antiquitus fuisse celebratam, *ut patet*, inquit, *ex* » *Hymno Prudentii*, quem Ecclesia Latina ad divina Officia » solet adhibere. Sane in Epiphania Domini hymnus ad Lau» des *O sola magnarum urbium*, etc. Prudentii est; sed nulla » in eo triplicis Christi apparitionis commemoratio fit, quae » tamen habetur in hymno ad Vesper., qui incipit: *Crudelis* » *Herodes*, etc. Sed is Sedulii foetus est ».

Quicumque Christum quaeritis,
Oculos in altum tollite:
Illic licebit visere
Signum perennis gloriae.
Haec stella, quae solis rotam
Vincit decore ac lumine (1),
Venisse terris nuntiat
Cum carne terrestri Deum.

(1) *Vincit decore* etc. Ὑπερβολικῶς; quamquam S. Ioan. Chrys. Hom. VI in Matth. auctor est stellam hanc splendore omnibus astris praestitisse.

Non illa servit noctibus,
Secuta lunam menstruam,
Sed sola caelum possidens,
Cursum dierum temperat.

Arctoa quamvis sidera,
In se retortis motibus,
Obire nolint, attamen
Plerumque sub nimbis latent:

Hoc sidus aeternum manet (1),
Haec stella numquam mergitur,
Nec nubis occursu abdita
Obumbrat obductam facem.

Tristis cometa intercidat (2),
Et, si quod astrum Sirio
Fervet vapore, iam Dei
Sub luce destructum cadat.

En Persici ex orbis sinu (3),
Sol unde sumit ianuam,
Cernunt, periti interpretes,
Regale vexillum Magi.

Quod ut refulsit, ceteri
Cessere signorum globi;
Nec pulcher est ausus suam
Conferre formam Lucifer.

(1) *Hoc sidus* etc. Ἀλληγορικῶς. Christum indicat.

(2) *Tristis cometa,* etc. Cometas aliquid semper infausti humano generi portendere veteres falso existimabant. « Iuxta tropologiam vero, notat hic Erasmus Roterodam., Sirius est Satana, qui mentes hominum ad insanos amores, ad bella insidiasque concitat. Has stellas extinguit Christus exortus, ac praelucens mentibus nostris ».

(3) *Persici.* Persicos noster facit Magos; sed eos ex Arabia vel Chaldea Bethlem advenisse multi docent.

Quis iste tantus, inquiunt,
Regnator, astris imperans,
Quem sic tremunt caelestia,
Cui lux et aethra inserviunt?
Inlustre quiddam cernimus,
Quod nesciat finem pati,
Sublime, celsum, interminum (1),
Antiquius caelo et chao (2).
Hic ille rex est gentium,
Populique rex Iudaici,
Promissus Abrahae patri,
Eiusque in aevum semini.
Aequanda nam stellis sua
Cognovit olim germina
Primus sator credentium (3),
Nati immolator unici.
Iam flos subit Davidicus,
Radice Iessaea editus,
Sceptrique per virgam virens
Rerum cacumen occupat.
Exin sequuntur perciti,
Fixis in altum vultibus,
Qua stella sulcum traxerat,
Claramque signabat viam.

(1) *interminum:* interminatum, nullo termino finitum. Plus vice simplici hanc vocem usurpat noster. V. Περὶ Στεφ. V, 432; et *Contra Symm.* II, 106. Occurrit etiam apud Avs. Ep. XVI, 38; Avien. *Perieg.* LXXIV; Sid. VII, Ep. IV, aliosque deterioris aetatis scriptores.

(2) *chaos.* Chaos, in hoc loco est indigesta confusaque terrarum orbis moles.

(3) *Primus sator credentium.* Abrahamus, qui « pater omnium credentium » in S. Pavli Ep. ad Rom. (iv, 11) est dictus. V. et *Genes.* xvii, 4.

Sed verticem Pueri supra
Signum pependit imminens,
Pronaque submissum face
Caput sacratum prodidit.
Videre quod postquam Magi,
Eoa promunt munera,
Stratique votis offerunt
Tus, myrrham, et aurum regium.
Agnosce clara insignia
Virtutis ac regni tui,
Puer o, cui trinam Pater
Praedestinavit indolem.
Regem Deumque adnuntiant
Thesaurus et fragrans odor
Turis Sabaei, ac myrrheus (1)
Pulvis sepulcrum praedocet.
Hoc, hoc sepulcrum (2), quo Deus,
Dum corpus extingui sinit,
Atque id sepultum suscitat,
Mortis refregit carcerem.
O sola magnarum urbium
Maior (3) Bethlem, cui contigit
Ducem salutis caelitus (4)
Incorporatum gignere!

(1) *Ac myrrheus.* Codd. Vaticc. potioris momenti, et WEITZ.; — *at myrrheus,* cod. Oxonens., a quo non recessit CELLARIVS.

(2) *hoc, hoc sepulcrum.* Cod. Putean. — *hoc est sepulcrum,* Vaticc. fere omnes, et WEITZIVS. Pro Puteani cod. lectione pugnat HEINSIVS; sed sine causa male vult WEITZIO, cui prioris lectionis illa geminatio *hoc, hoc* placeat; est enim a Prudentiana scribendi ratione nequaquam aliena.

(3) *maior:* pro *maxima.*

(4) *caelitus:* οὐρανόθεν, divinitus, e caelo. Adverbium est, quod in aureae aetatis scriptoribus non invenimus.

Altrice te, summo Patri
Heres creatur unicus,
Homo ex Tonantis Spiritu,
Idemque sub membris Deus.

Hunc et Prophetis testibus,
Isdemque signatoribus,
Testator et sator iubet
Adire regnum et cernere (1):

Regnum, quod ambit omnia
Dia, et marina, et terrea,
A solis ortu ad exitum,
Et tartara, et caelum supra.

Audit tyrannus anxius
Adesse regum principem,
Qui nomen Israël regat,
Teneatque David regiam.

Exclamat amens nuntio:
« Successor instat; pellimur!
Satelles, i, ferrum rape,
Perfunde cunas sanguine.

Mas omnis infans occidat,
Scrutare nutricum sinus;
Interque materna ubera
Ensem cruentet pusio.

Suspecta per Bethlem mihi
Puerperarum est omnium
Fraus, nequa furtim subtrahat
Prolem virilis indolis ».

Transfigit ergo carnifex,
Mucrone districto furens,

(1) *cernere:* iudicis partes sustinere, iudicium exercere.

Effusa nuper corpora (1),
Animasque rimatur novas.

Locum minutis artubus
Vix interemptor invenit,
Quo plaga descendat patens,
Iuguloque maior pugio est.

O barbarum spectaculum!
Inlisa cervix cautibus
Spargit cerebrum lacteum,
Oculosque per vulnus vomit;

Aut in profundum palpitans
Mersatur infans gurgitem,
Cui subter arctis faucibus,
Singultat unda et halitus.

Salvete, flores Martyrum,
Quos lucis ipso in limine
Christi insecutor sustulit,
Ceu turbo nascentes rosas!

Vos, prima Christi victima,
Grex immolatorum tener,
Aram ante ipsam simplices (2)
Palma et coronis luditis.

Quo proficit tantum nefas (3)?
Quid crimen Herodem iuvat?
Unus tot inter funera
Impune Christus tollitur.

(1) *effusa nuper corpora:* nuper in lucem edita. Miro ad miserationem haec sunt composita.

(2) *Aram ante ipsam*. Συναλοιφή. Nonnulli, nec displicet, *aram sub ipsam*. Totus locus Catullianam venustatem redolet.

(3) *quo proficit*. Vaticc. duo, et HEINS. Alii duo Vaticani: *quid proficit*. — ERASMVS, et una WEITZIVS parum feliciter *qui vroficit*.

Inter coëvi sanguinis (1)
Fluenta solus integer,
Ferrum, quod orbabat nurus,
Partus fefellit Virginis.

Sic stulta Pharaonis mali
Edicta quondam fugerat,
Christi figuram praeferens,
Moses, receptor civium (2).

Cautum et statutum ius erat,
Quo non liceret matribus,
Quum pondus alvi absolverent,
Puerile pignus tollere (3).

Mens obstetricis sedulae,
Pie in tyrannum contumax,
Ad spem potentis gloriae
Furata servat parvulum;

Quem mox sacerdotem sibi
Adsumpsit orbis conditor,
Per quem notatam saxeis
Legem tabellis traderet.

Licetne Christum noscere
Tanti per exemplum viri?
Dux ille, caeso Aegyptio,
Absolvit Israël iugo.

(1) *Coëvi sanguinis*. Sanguinis puerorum eiusdem aetatis. *Coëvus* vox habetur ad senescentem latinitatem pertinens, neque usurpanda; quamquam semel occurrit in Mvreti variis lectionibus (V. Lect. II, 14).

(2) *receptor:* σωτήρ, sospitator, vindex, adsertor.

(3) *tollere,* scil. de terra Cfr. *Minerv.* Sanctii IV, § 5. Transl. *educare*, *nutrire*. Puerum recens natum pater e terra tollebat, matrique, aut nutriculae alendum dabat. Unde illud Italorum: *allevare*.

At nos, subactos iugiter
Erroris imperio gravi,
Dux noster, hoste saucio (1),
Mortis tenebris liberat.
Hic expiatam fluctibus
Plebem marino in transitu
Repurgat undis dulcibus,
Lucis columnam praeferens.
Hic, praeliante exercitu,
Pansis in altum brachiis,
Sublimis Amalech premit,
Crucis quod instar tunc fuit.
Hic nempe Iesus verior (2),
Qui longa post dispendia
Victor, suis tribulibus
Promissa solvit iugera ;
Qui ter quaternas denique
Refluentis amnis alveo
Fundavit et fixit petras (3),
Apostolorum stemmata.
Iure ergo se Iudae ducem
Vidisse testantur Magi,
Quum facta priscorum ducum
Christi figuram finxerint.
Hic rex priorum iudicum,
Rexere qui Iacob genus,
Dominaeque rex Ecclesiae,
Templi et novelli et pristini.

(1) *Dux noster, noste saucio.* Iesus Christus, daemone vulnerato et devicto.

(2) *Iesus.* Haec de Iosue, qui graece est Ἰησοῦς. V. *Act. Apost.* vII, 45.

(3) *fixit petras.* Petras in medio Iordanis alveo duodecim statuit, non vero in *ripa Iordanis*, uti falso interpretatur Cellarivs. Cfr. Iosve IV, 9.

Hunc posteri Ephrem colunt (1),
Hunc sancta Manassae domus;
Omnesque suspiciunt tribus
Bis sena fratrum semina.
Quin et propago degener
Ritum secuta inconditum,
Quaecumque dirum fervidis
Baal caminis coxerat (2),
Fumosa avorum numina,
Saxum, metallum, stipitem,
Rasum, dolatum, sectile,
In Christi honorem deserit.
Gaudete, quidquid gentium est,
Iudaea, Roma, et Graecia,
Aegypte, Thrax, Persa, Scytha,
Rex unus omnes possidet.
Laudate vestrum Principem,
Omnes beati, ac perditi,
Vivi, imbecilli, ac mortui;
Iam nemo posthac mortuus.

(1) *Ephrem.* Vaticc. plerique omnes. — Giselinvs aliique *Ephraim.* Est autem Ephrem, synecd. pro universo populo Iudaeorum.

(2) *Baal.* Nomen dei, quem Assyrii, Phoenices, et aliquando Iudaei coluerunt. V. nostrum, 'Αποθ. 393.

Cathemerinon finis

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS
ΠΕΡΙ ΣΤΕΦΑΝΩΝ
LIBER

ΠΕΡΙ ΣΤΕΦΑΝΩΝ
LIBER

PRAEFATIO

Poëta neque virtutibus insignis, neque pecunia instructus, iambos et trochaeos suos demisso animo Deo offert. Hosce versus alii alio transferunt; nos editioni Bodonianae addicti, hymnis Περὶ Στεφανῶν praemittimus, qui trochaeis et iambis saepiuscule constant.

Immolat Deo Patri
  Pius, fidelis, innocens, pudicus
Dona conscientiae,
  Quibus beata mens abundat intus;
Alter et pecuniam
  Recidit (1), unde victitent egeni
Nos citos iambicos
  Sacramus et rotatiles (2) trochaeos,
Sanctitatis indigi,
  Nec ad levamen pauperum potentes:

(1) *recidit.* Pecuniam ad egenos alendos seponit.

(2) *rotatiles.* Rotatile est quod in gyrum fertur. Translate unus Sidonius Apollinaris usurpat, ubi de catastrophis agit (II. Ep. 9).

Adprobat tamen Deus
  Pedestre (1) carmen, et benignus audit.
Multa divitis domo
  Sita est per omnes angulos supellex:
Fulget aureus scyphus,
  Nec aere defit expolita pelvis;
Est et olla fictilis,
  Gravisque et ampla argentea est paropsis (2).
Sunt eburna quaepiam;
  Nonnulla quercu sunt cavata et ulmo.
Omne vas fit utile,
  Quod est ad usum congruens herilem;
Instruunt enim domum
  Ut empta magno, sic parata ligno.
Me paterno in atrio,
  Ut obsoletum (3) vasculum, caducis
Christus aptat usibus,
  Sinitque parte in anguli manere.
Munus ecce fictile
  Inimus intra regiam salutis;
Attamen vel infimam
  Deo obsequelam praestitisse prodest.
Quidquid illud accidet,
  Iuvabit ore personasse Christum.

(1) *pedestre.* Transl. humile, quasi pedibus incedens πεζὸς λόγος. V. QVINT. X, I, 81; HOR. *ad Pis.* 95; *Lyric.* 1, 12, 9; *Sat.* VI, 17.

(2) *paropsis.* A παρά et ὄψον. Alii, uti in Bodon. Edit. et mss. *parapsis,* vocemque derivant a παρά et ἁψίς, quia parapsis est vas curvum cavumque.

(3) *obsoletum vasculum.* Vides omnino, lector, uti humiliter atque demisse de se poëta sentiat, Christiana sapientia imbutus.

HYMNVS I

PASSIO* EMETERII ET CHELIDONII
CALAGVRRITANORVM MARTYRVM

Sepulcrum SS. Martyrum Chelidonii et Emeterii celebrat, prodigiis caelestibus et populorum frequentia illustratum. Paucis de Calagurritanis his martyribus narratis, ad mira se refert prodigia, quae loci sanctitatem testantur.

Scripta sunt caelo (1) duorum martyrum vocabula,
Aureis quae Christus illic adnotavit litteris:
Sanguinis notis eadem scripta terris tradidit.

Pollet hoc felix per orbem terra Hibera stemmate (2);
Hic locus dignus tenendis ossibus visus Deo,
Qui beatorum pudicus esset hospes corporum.

Hic calentes hausit undas caede tinctus duplici;
Inlitas cruore sancto nunc arenas incolae
Confrequentant obsecrantes voce, votis, munere.

Exteri nec non et orbis huc colonus advenit;
Fama nam terras in omnes percucurrit proditrix,
Hic patronos esse mundi, quos precantes ambiant.

* *Passio.* Ut obiter moneam passio apud scriptores, quos Ecclesiasticos vocamus, cruciatus significat, mortemque ipsam decoram Christianorum, qui fortiter Christi religionem martyrio testati sunt. Carminis titulus in Giseliniana Edit. est hujusmodi: ***Hymnus in honorem Sanctor. Martyr.***, etc.

(1) *Scripta sunt coelo.* Ita in Edit. Giselin.

(2) *Stemmate.* V. Περὶ Στεφ. VII, 5, 81.

Nemo puras hic rogando frustra congessit preces;
Laetus hinc tersis revertit supplicator fletibus,
Omne, quod iustum poposcit, impetratum sentiens.
Tanta pro nostris periclis cura suffragantium est!
Non sinunt, inane ut ullus voce murmur fuderit:
Audiunt, statimque ad aurem Regis aeterni ferunt (1).
Inde larga fonte ab ipso dona terris influunt,
Supplicum caussas petitis quae medelis inrigant.
Nîl suis bonus negavit Christus unquam testibus:
Testibus, quos nec catenae, dura nec mors terruit (2)
Unicum Deum fateri sanguinis dispendio:
Sanguinis; sed tale damnum lux rependit longior.
Hoc genus mortis decorum est, hoc probis dignum viris,
Membra morbis exedenda texta venis languidis
Hostico donare ferro (3), morte et hostem vincere.
Pulchra res ictum sub ense persecutoris pati!
Nobilis per vulnus amplum porta iustis panditur;
Lota mens in fonte rubro (4) sede cordis exsilit.
Nec rudem crudi laboris ante vitam duxerant
Milites, quos ad perenne cingulum Christus vocat (5);
Sueta virtus bello et armis, militat sacrariis:

(1) *Audiunt... ferunt.* Frustra in nonnullis codicc. mss. *audiant... ferant.* Cellarius, negat nos posse sanctos precibus ambire, uti Deum nobis propitium reddant. Impie id quidem haec effutiit Prudentii ceteroquin bonus enarrator. De hac re adi, sodes, Concil. Trident. Sect. XXV. *De venerat. Sanct.*

(2) *dura nec mors.* WEITZIVS et aliquot editt. *dira nec mors;* sed nostram lect. tuentur haud nauci faciendi codd. mss.

(3) *donare ferro.* Vaticc. Codd., ALDVS, NEBRISSENSIS, et HEINSIVS. Parum equidem elegans mihi videtur *domare ferro*, cui adhaeret WEITZIVS.

(4) *fonte rubro.* Sanguine.

(5) *cingulum.* In re militari est militiae insigne; et meton. pro militia ponitur.

Caesaris vexilla linquunt, eligunt signum Crucis,
Proque ventosis draconum, quos gerebant, palliis (1)
Praeferunt insigne lignum, quod draconem subdidit.
Vile censent expeditis ferre dextris spicula,
Machinis murum ferire, castra fossis cingere,
Impias manus cruentis inquinare stragibus.
Forte tunc atrox secundos Israëlis posteros (2)
Ductor aulae mundialis (3) ire ad aram iusserat,
Idolis litare (4) nigris, esse Christi defugas.
Liberam succincta ferro pestis urgebat fidem:
Illa virgas et secures, et bisulcas ungulas (5)
Ultro fortis expetebat, Christi amore interrita.
Carcer inligata duris colla baccis (6) impedit.
Barbaras forum per omne tortor exercet manus;
Veritas crimen putatur, vox fidelis plectitur.
Tunc et ense caesa virtus triste percussit solum.
Et, rogis ingesta moestis, ore flammas sorbuit:
Dulce tunc iustis cremari, dulce ferrum perpeti.
Hic duorum cara fratrum concalescunt (7) pectora,
Fida quos per omne tempus iunxerat sodalitas:
Stant parati ferre quidquid sors tulisset ultima,

(1) *palliis*. Velis, vexillis vento inflatis, in quo draco, vel aliud animal effingeretur.

(2) *Israëlis posteros*. Christianos.

(3) *ductor mundialis*. Imperii romani dux. Quisnam fuerit hic ductor haurire nusquam potui. Mundialis autem, pro eo quod est *mundanae*, vox est aevi deterioris. V. Καθημ. 1. V. 90.

(4) *Litare et sacrificare* quid differant. Vide Aus. Popmae *De Differentiis Verbor*. Augustae Taurinor. Ex Offic. Asceterii Salesiani. an. MDCCCLXV.

(5) *Ungulas*. Hoc nomine forcipis genus veniebat, quod ferarum ungulas referret, essetque in summa parte dentatum.

(6) *baccis*, vel *bacis impedit*. Bacas, aut baccas interpretari licet genus quoddam catenularum nodis asperarum. Weitzivs et Chamillardvs legunt: *boiis*, qua voce significatur item torquis genus, quo damnati afficerentur.

(7) *concalescunt*. Alii *convalescunt*. Priorem praetuli.

Seu foret praebenda cervix ad bipennem publicam,
Verberum post vim crepantum, post catastas igneas,
Sive pardis offerendum pectus, aut leonibus.

Nosne Christo procreati mammonae (1) dicabimur?
Et Dei formam gerentes serviemus saeculo?
Absit ut caelestis ignis se tenebris misceat.

Sit satis, quod capta primo vita sub chirographo (2)
Debitum persolvit omne, functa rebus Caesaris:
Tempus est Deo rependi quidquid est proprium Dei.

Ite, signorum magistri, et vos tribuni absistite;
Aureos auferte torques, sauciorum praemia:
Clara nos hinc Angelorum iam vocant stipendia.

Christus illic candidatis praesidet cohortibus,
Et throno regnans ab alto, damnat infames deos,
Vosque, qui ridenda vobis monstra divos fingitis.

Haec loquentes obruuntur mille poenis martyres:
Nexibus manus utrasque flexus involvit rigor,
Et chalybs attrita colla (3) gravibus ambit circulis.

O vetustatis silentis obsoleta oblivio!
Invidentur ista nobis, fama et ipsa extinguitur;
Chartulas blasphemus olim nam satelles abstulit,

Ne tenacibus libellis erudita saecula
Ordinem, tempus, modumque passionis proditum
Dulcibus linguis per aures posterorum spargerent.

(1) *Mammonae.* Mammona vox est Syriaca, qua divitiae significantur; punice vero *mammon*, ex Augustini sententia idem valet, ac lucrum.

(2) *primo sub chirographo.* Militare sacramentum intelligit noster, quo imperatori milites obstringerentur.

(3) *attrita colla.* V. Ψυχομ. Praef. 33. — Vatican. unus habet *astricta colla.* GRVTERVS et WEITZIVS *artita.*

Hoc tamen solum vetusta subtrahunt silentia,
Iugibus longum catenis an capillum paverint:
Quo viros dolore tortor, quave pompa (1) ornaverit.

Illa laus occulta non est, nec senescit tempore,
Missa quod sursum per auras evolarunt munera.
Quae viam patere caeli praemicando ostenderent.

Illius fidem figurans nube fertur annulus,
Hic sui dat pignus oris, ut ferunt, orarium (2):
Quae superno rapta flatu lucis intrant intimum.

Per poli liquentis axem fulgor auri (3) absconditur.
Ac diu visum sequacem textilis candor (4) fugit:
Subvehuntur usque in astra, nec videntur amplius.

Vidit hoc conventus adstans, ipse vidit carnifex,
Et manum repressit haerens, ac stupore obpalluit;
Sed tamen peregit ictum, ne periret gloria.

Iamne credis, bruta quondam Vasconum gentilitas,
Quam sacrum crudelis error immolârit sanguinem?
Credis in Deum relatos (5) hostiarium spiritus?

Cerne, quam palam feroces hîc domantur daemones,
Qui lupino capta ritu devorant praecordia,
Strangulant mentes et ipsas, seque miscent sensibus.

(1) *quave pompa.* Vatic. unus atque Heinsiani duo habent *quave poena*, quae lectio etiam occurrit in Giselliniana edit. Heinsius tamen *quave pompa* praefert, quod hic de victimis agatur.

(2) *Orarium* linteolum ori tegendo. V. Mazochivm: *Spicil. Bibliot.* Vol. III, pag. 100; qui neque ab ora, seu limbo vestis, neque ab ore nomen ortum duxisse ostendit, suamque de vocis etymo sententiam exponit, quam non vocat lectoribus nostris in medium adferre.

(3) *fulgor auri.* Intelligitur aureus fulgur Emeterii.

(4) *textilis fulgor.* Haec ad orarium, de quo versu vide supra.

(5) *Credis in Deum relatos* etc. Putasne animas horum martyrum, qui se Deo tamquam hostias obtulerunt. ad Deum pervenisse?

Tunc, suo iam plenus hoste (1), sistitur furens homo,
Spumeas efflans salivas, cruda torquens lumina,
Expiandus quaestione non suorum criminum.
Audias, nec tortor instat, eiulatus flebiles:
Scinditur per flagra corpus, nec flagellum cernitur;
Crescit (2) et suspensus ipse vinculis latentibus.
His modis spurcum latronem martyrum virtus quatit:
Haec coërcet, torquet, urit, haec catenas incutit;
Praedo vexatus relictis se medullis exuit:
Linquit inlaesam rapinam, faucibus siccis fugit,
Ungue ab imo usque ad capillum salva reddit omnia,
Confitens ardere sese; nam gehennae est incola.
Quid loquar purgata longis alba morbis corpora?
Algidus quum decoloros horror artus concutit,
Hic tumor vultum relinquit, hic color verus redit.
Hoc bonum Salvator ipse, quo fruamur, praestitit,
Martyrum quum membra nostro consecravit oppido (3),
Sospitant quae nunc colonos, quos Hiberus adluit.
State nunc, hymnite, (4) matres, pro receptis parvulis;
Coniugum salute laeta vox maritarum (5) strepat:
Sit dies haec festa nobis, sit sacratum gaudium.

(1) *hoste.* Daemone, quem TASSVS in IV Sacri Poëmatis cantu esse ait: *Il gran nemico delle umane genti.*

(2) *crescit* Nebriss. — *tumescit* Isonius.

(3) *nostro... oppido.* Scilicet Calagurri, quae urbs est, uti ait Strabo L. III, in Vasconibus Celtiberis. Sunt qui putent hic poëtam Calagurrim *nostrum oppidum* dixisse, quod ibi ortum duxerit. Nos litem iniudicatam relinquimus. Vide sis quae de hac re notavimus in *Comment. de Aur. Prud. Clem.*

(4) *hymnite.* Omnes bonae notae codd. Ab ὑμνέω derivavit noster vocem, qua nemo antea usus est. In Nebriss. atque edit. Amstelodamensi, quae prodiit an. MDCXXXI: *hymnistae matres.*

(5) *maritarum.* Marita poëtice est femina viro iure matrimonii iuncta. Vidimus interdum et in vetustioribus inscriptionibus.

HYMNVS II

PASSIO LAVRENTII *
BEATISSIMI MARTYRIS

Romanis primum gratulatur poëta, quod, Laurentio duce, deos inanes ac falsos e medio sustulerint; tum fortissimi Levitae certamen et triumphum ordinatim narrat; tandem ea recenset, quae fuerit Roma eius morte ac precibus consecuta.

Antiqua fanorum parens,
Iam Roma Christo dedita,
Lavrentio victrix duce
Ritum triumphas barbarum (1).
Reges superbos viceras,
Populosque frenis presseras;
Nunc monstruosis idolis
Imponis imperî iugum.
Haec sola deerat gloria
Urbis togatae (2) insignibus,
Feritate capta gentium (3)
Domaret ut spurcum Iovem,
Non turbulentis viribus,
Cossi, Camilli, aut Caesaris,
Sed martyris Lavrentii
Non incruento proelio.

* In Giseliniana e lit. hymnus inscribitur: *Laurentius Archilevita.*

(1) *ritum... barbarum.* Ritus barbarus, quod germanus non sit atque legitimus.

(2) *Urbis togatae.* V. Virg. *Aen.* I, 286.

(3) *Feritate capta gentium.* Feris nationibus perdomitis.

Armata pugnavit fides,
Proprii cruoris prodiga:
Nam morte mortem diruit,
Ac semet (1) impendit sibi.
Fore hoc sacerdos dixerat
Iam Xystus, adfixus cruci (2),
LAURENTIUM flentem videns
Crucis sub ipso stipite:
Desiste discessu meo
Fletum dolenter fundere:
Praecedo, frater; tu quoque
Post hoc sequeris triduum.
Extrema vox episcopi
Praenuntiatrix gloriae
Nihil fefellit; nam dies
Praedicta palmam praestitit.
Qua voce, quantis laudibus
Celebrabo mortis ordinem?
Quo passionem carmine
Digne retexens concinam?
Hic primus e septem viris (3),
Qui stant ad aram proximi,
Levita sublimis gradu,
Et ceteris praestantior,
Claustris sacrorum (4) praeerat,
Caelestis arcanum domus

(1) *Ac semet...* Vitamque caducam dedit, posuitque libens, uti aeternam consequeretur.

(2) *adfixus cruci.* Omnis generis cruciatibus oppressus.

(3) *e septem viris.* Xysti Pont. Max. tempore admodum septem in Romana Ecclesia diaconos fuisse ex hoc loco eruimus. V. EVSEB. IV, c. XLIII.

(4) *Claustris sacror.* Archidiaconorum fuit sacri aerarii custodiam gerere, pecuniamque a Christianis oblatam pauperibus dispertiri.

Fidis gubernans clavibus,
Votasque dispensans opes.

Versat famem pecuniae
Praefectus urbis regiae,
Minister insani ducis (1),
Exactor auri et sanguinis,

Qua vi latentes eruat
Nummos, operta existimans
Talenta sub sacrariis,
Cumulosque congestos tegi.

LAVRENTIVM sisti iubet,
Exquirit arcam ditibus
Massis refertam, et fulgidae
Montes monetae conditos.

« Soletis, inquit, conqueri,
Saevire nos iusto amplius,
Quum christiana corpora
Plusquam cruente scindimus.

Abest atrocioribus
Censura fervens motibus:
Blande et quiete efflagito
Quod sponte obire debeas.

Hunc esse vestris orgiis (2)
Moremque et artem proditum est,
Hanc disciplinam foederis,
Libent ut auro antistites (3).

(1) *minister insani ducis.* Intellige Imperatorem Valerianum.

(2) *orgiis.* Orgia, ab ὀργή, teste Servio, sacra in primis erant, quae nocte intempesta, in honorem Liberi Patris tertio quoque anno celebrabantur; quae sacra idcirco trieterica dicta sunt.

(3) *libent ut auro antistites...* Cyatis ex auro et argento. Quum aliquid per nebulam audisset Urbis praefectus de sacris, quibus noctu interessent Christiani, eos nescio quas coenas

Argenteis scyphis ferunt
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Adstare fixos cereos.
Tum summa cura est fratribus,
Ut sermo testatur loquax,
Offerre, fundis venditis,
Sestertiorum millia (1).
Addicta avorum praedia
Foedis sub auctionibus
Successor exheres gemit,
Sanctis (2) egens parentibus.
Haec occuluntur abditis
Ecclesiarum in angulis,
Et summa pietas creditur
Nudare dulces liberos.
Deprome thesauros, malis
Suadendo quos praestigiis
Exaggeratos obtines,
Nigrante quos claudis specu.
Hoc poscit usus publicus,
Hoc fiscus, hoc aerarium,
Ut dedita stipendiis
Ducem iuvet pecunia.
Sic dogma vestrum est, audio:
Suum quibusque reddito;
En, Caesar agnoscit suum
Numisma (3) nummis inditum.

Thyesteas frequentare, silentio tenebrarum protectos, solitos esse in animum sibi induxerat, ubi et caesorum infantium carnibus et sanguine saturarentur.

(1) *millia.* Numerus definitus, pro maxima vi sestertiorum.

(2) *sanctis.* Εἰρονικῶς. De voco *praestigium*. V. Καθημ. VI, 140.

(3) *numisma.* Alii *nomisma*, quod graecum est.

Quod Caesaris scis, Caesari
Da: nempe iustum postulo:
Nî fallor, haud ullam tuus
Signat Deus pecuniam;
Nec, quum veniret, aureos
Secum Philippos detulit (1),
Praecepta sed verbis dedit,
Inanis a marsupio.
Implete dictorum fidem,
Quam vos per orbem venditis;
Nummos libenter reddite:
Estote verbis divites ».
Nil asperum Lavrentivs
Refert ad ista, aut turbidum;
Sed, ut paratus obsequi,
Obtemperanter adnuit.
« Est dives, inquit, non nego,
Habetque nostra Ecclesia
Opumque et auri plurimum;
Nec quisquam in orbe est ditior.
Is ipse tantum non habet
Argenteorum aenigmatum (2)
Augustus, arcem (3) possidens,
Cui nummus omnis scribitur.
Sed nec recuso prodere
Locupletis arcam numinis;
Vulgabo cuncta, et proferam
Pretiosa, quae Christus tenet.

(1) *Philippos detulit.* Numos scilicet imagine signatos Philippi, qui pater Alexandri Magni fuit.

(2) *aenigmatum.* Aenigma usurpat noster pro figura, imagine, seu lineamentis, per quae cuiusque imago agnoscitur. V. Καθημ. X, 143. Putat Forcellinius Prudentium vocis notationem ex I Corinth. XIII, 12 traxisse, quo in loco *videre in aenigmate* atque *de facie ad faciem* inter se opponuntur.

(3) *arcem.* Scil. imperii.

Unum sed orans flagito,
Induciarum paullulum,
Quo fungar efficacius
Promissionis munere,
Dum tota digestim mihi
Christi sapellex scribitur;
Nam calculanda primitus,
Tum subnotanda est summula. »
Laetus tumescit gaudio
Praefectus, ac spe devorat (1)
Aurum, velut iam conditum
Domi maneret, gestiens.
Pepigere tempus tridui;
Laudatus inde absolvitur
LAURENTIUS, sponsor sui,
Et sponsor ingentis lucri.
Tribus per urbem cursitat
Diebus, infirma agmina,
Omnesque, qui poscunt stipem,
Cogens in unum et congregans.
Illic utrisque obtutibus
Orbes cavatos praeferens,
Baculo regebat praevio
Errore mutantem gradum;
Et claudus infracto genu,
Vel crure trunco semipes,
Breviorve planta ex altera,
Gressum trahebat imparem.
Est ulcerosis artubus
Qui tabe corrupta fluat;
Est, cuius arens dextera
Nervos in ulnam contrahat.

(1) *spe devorat.* Ita in codd. mss. Male in quibusdam editt. *spem devorat.*

Tales plateis omnibus
Exquirit, adsuetos ali
Ecclesiae matris penu,
Quos ipse promus (1) noverat.
Recenset exin singulos,
Scribens viritim nomina;
Longo et locatos ordine
Adstare pro templo (2) iubet.
Praescriptus et iam fluxerat
Dies: furebat fervido
Iudex avarus spiritu,
Promissa solvi efflagitans.
Tum martyr: « Adsistas velim,
Coramque dispôstas (3) opes
Mirere, quas noster Deus
Praedives in sanctis habet.
Videbis ingens atrium
Fulgere vasis aureis,
Et per patentes porticus
Structos talentis ordines (4). »
It ille, nec pudet sequi.
Ventum ad sacratam ianuam:
Stabant catervae pauperum,
Inculta visu examina.
Fragor rogantum (5) tollitur:
Praefectus horrescit stupens,
Conversus in LAVRENTIVM,
Oculisque turbatis minax.

(1) *promus*. HEINS., quam ipse germanam lectionem existimo. GISELINVS *primus* descripsit.

(2) *pro templo*. Ante locum, quo Christiani convenirent, sacris adfuturi.

(3) *dispôstas*. Sync. pro *dispositas*.

(4) *Structos talentis* etc. Talenta acervatim disposita.

(5) *rogantum*. Stipe precaria victitantium.

Contra ille: « Quid frendens, ait,
Minitaris? aut quid displicet?
Num sordida haec, aut vilia?
Num despuenda existimas?
Aurum, quod ardenter sitis,
Effossa gignunt rudera,
Et de metallis squalidis
Poenalis (1) excudit labor;
Torrens vel amnis turbidis
Volvens arenis implicat,
Quod terrulentum ac sordidum,
Flammis necesse est decoqui.
Pudor per aurum solvitur (2),
Violatur auro integritas,
Pax occidit, fides perit,
Leges et ipsae intercidunt.
Quid tu venenum gloriae
Extollis, et magni putas?
Si quaeris aurum verius,
Lux est, et humanum genus (3).
Hi sunt alumni (4) luminis,
Quos corpus arctat debile,
Ne per salutem viscerum
Mens insolescat turgida.

(1) *poenalis.* Ad poenam spectans, poenam continens; et licitur de molesto gravique labore, qui, tamquam poena, aliis iniungitur. Vocem videbis in Plinio Maiore (XVIII, II, 29), apud Iurisconsultos Modestinum, Ulpianum et Caium, quare latinissimam habebis.

(2) *Pudor per aurum solvitur.* Peritus enarrator Horatii in memoriam adolescentulorum revocabit *Lyricor.* III, 16, 8; et Propert. III, 1349.

(3) *Lux est et humanum genus.* Si quaeris aurum, eius fulgore illectus, scito et genus humanum splendescere, quod in hominibus imago Dei ipsius effulgeat.

(4) *alumni*, qui aluntur; scil. participes. In Αποθ. 492 noster

Quum membra morbus disiicit,
Animus viget robustior:
Membris vicissim fortibus
Vis sauciatur sensuum.
Nam sanguis in culpam calens
Minus ministrat virium,
Si fervor effetus malis
Elumbe virus contrahat.
Si forte detur optio,
Malim dolore asperrimo
Fragmenta membrorum pati,
Et pulcher intus vivere.
Committe formas pestium,
Et confer alternas lues:
Carnisne morbus foedior,
An mentis, et morum ulcera?
Nostri (1) per artus debiles,
Intus decoris integri,
Sensum venusti innoxium
Languoris expertes gerunt;
Vestros valentes corpore
Interna corrumpit lepra,
Errorque mancum (2) claudicat,
Et coeca fraus nihil videt.
Quemvis tuorum divitum,
Qui veste et ore (3) praenitent,
Magis probabo debilem,
Quam quis meorum est pauperum.

alumnos Chrismatis vocat, qui almo Chrismate inunguntur, atque roborantur.

(1) *nostri.* Videlicet pauperes.

(2) *mancum.* Adverbialiter; instar eius, qu aliquo membro et praesertim manu est captus.

(3) *ore.* Rvinartivs, et quidem nullo cod. adiutus, susp catur legendum esse *auro*.

Hunc, qui superbit serico (1),
Quem currus inflatum vehit,
Hydrops aquosus lucido (2)
Tendit veneno intrinsecus:
Ast hic avarus (3) contrahit
Manus recurvas, et volam (4)
Plicans aduncis unguibus,
Laxare nervos non valet.
Istum libido foetida
Per scorta tractum publica
Luto et cloacis inquinat,
Dum spurca mendicat stupra.
Quid ille fervens ambitum (5),
Sitimque honoris aestuans,
Mersisne anhelat febribus,
Atque igne venarum furit?
Quisquis tacendi intemperans
Silenda prurit prodere,
Vexatur, et scalpit iecur,
Scabiemque cordis sustinet.

(1) *serico*, sericum, i, s., et serica, orum, n. pl. est serica vestis; ab arbore quadam, cuius fit mentio in *Genes*. XLIX, 11. S. Cfr. Mazochivm *Spicil. Bibl*. T. 1, Dissert. VIII, P. 11.

(2) *lucido*. Mss. omnes, et Giselin. — In editt. complurib. *lurido*.

(3) *avarus*. Avaros, et ὀξυχειράς, quod iis manus tenaces sint et ad rapiendum paratae, chiragricis comparat, uti hic notat Giselinus.

(4) *Manus recurvas et volam*. Ita codd. melioris notae, Heins., et Weitzivs. — *Manus recurvas in volam* Cellar. post Gronov.

(5) *fervens ambitum*, *Sitimque honor. aestuans*. Optimi codicc., Veteres editt., et Chamillard. *ambitu et siti*. Heinsivs priori lectioni favet, aitque ad Prudentianam scribendi rationem magis accedere, uti in Καθημ. VII, 156: et contra Symmac. II, 9; quibus in locis verba *fervere* atque *calere* sextum casum recipiunt.

Quid invidorum pectorum
Strumas retexam turgidas?
Quid purulenta et livida
Malignitatum vulnera?
Tute ipse, qui Romam regis,
Contemptor aeterni Dei,
Dum daemonum sordes colis,
Morbo laboras regio (1).
Hi, quos superbus despicis,
Quos exsecrandos indicas,
Brevi ulcerosos exuent
Artus, et incolumes erunt,
Quum, carne corruptissima
Tandem soluti ac liberi,
Pulcherrimo vitae statu
In arce lucebunt Patris:
Non sordidati aut debiles,
Sicut videntur interim,
Sed purpurantibus stolis
Clari, et coronis aureis.
Tum, si facultas suppetat,
Coram tuis obtutibus
Istos potentes saeculi
Velim recensendos dari.
Pannis videres obsitos,
Et muculentis naribus,
Mentum salivis uvidum,
Lipposque palpebra putri.
Peccante nil est taetrius,
Nil tam leprosum aut putidum (2):

(1) *morbo regio*, arquato de quo Cfr. Cels. III, 24. Omnia hic μεταφορικῶς.

(2) *putidum*. Codd. Vaticc. plerique, Heins. Giselin. — *putridum* Weitzivs, aliique.

Cruda est cicatrix criminum,
Oletque, ut antrum Tartari.
Animabus inversa vice
Corrupta forma infligitur,
Quas pulcher adspectus prius
In corpore oblectaverat.
En ergo nummos aureos,
Quos proxime spoponderam,
Quos nec favillis obruat
Ruina, nec fur subtrahat.
Nunc addo gemmas nobiles,
Ne pauperem Christum putes:
Gemmas corusci luminis,
Ornatur hoc templum quibus.
Cernis sacratas virgines,
Mireris intactas anus,
Primique post damnum tori
Ignis secundi (1) nescias.
Hoc est monile Ecclesiae,
His illa gemmis comitur;
Dotata sic Christo placet,
Sic ornat altum verticem.
Eccum talenta; suscipe.
Ornabis urbem Romulam,
Ditabis et rem principis,
Fies et ipse ditior. »
Ridemur, exclamat fremens (2)
Praefectus, ac miris modis
Per tot figuras ludimur:
Et vivit insanum caput?

(1) *ignis secundi.* Transl. pro eo quod est secundarum nuptiarum.

(2) *fremens.* Codd. mss. maioris momenti apud Heins atque Weitzivm. In quibusdam editt. irrepsit *furens*

Impune tantas, furcifer,
Strophas (1) cavillo mimico
Te nexuisse existimas,
Dum, scurra (2), saltas fabulam?
Concinna visa urbanitas
Tractare nosmet ludicris?
Ergon' cachinnis venditus
Acrôma (3) festivum fui?
Adeone nulla austeritas,
Censura nulla est fascibus?
Adeon' securem publicam
Mollis retundit lenitas (4)?
Dicis: libenter oppetam;
Votiva (5) mors est martyri.
Est ista vobis, novimus,
Persuasionis vanitas (6).
Sed non volenti impertiam,
Praestetur ut mortis citae
Compendiosus exitus:
Perire raptim non dabo.

(1) *strophe*, στροφή, Versionem, flexum significat. Transfertur ad denotandam fallaciam per subdola verba, quibus quis fallere alios adgressus, huc illuc se vertit, quo viam elabendi inquirat. V. Phaedr. I, 14; Senec. Ep. xxvI; Plin. Minor. 1, ep. 8; et nostrum Ἀποθ. Proem. xxxvII.

(2) *scurra*. Tamquam pantomimus in scenam inductus in me unum gestu, saltatione fabulam agis, impudens. V. Περὶ Στεφ. hymnum S. Romani v. 222.

(3) *acrôma*. Sync. pro acroama. Acroama autem metonymice pro festivo narratore aut recitatore ad risum faciendum, uti videmus in fabula brevi, cui nomen est italis: *una farsa*. V. Tvll. Verrina VI, 22.

(4) *mollis retundit lenitas*. — Vatic. unus, et Aldus *retudit*.

(5) *votiva*. Votis expetita.

(6) *persuasionis vanitas*. mentis errore vobis est persuasum.

Vitam tenebo, et differam
Poenis morarum iugibus,
Et mors inextricabilis (1)
Longos dolores protrahet.

Prunas tepentes sternite,
Ne fervor ignitus nimis
Os contumacis occupet,
Et cordis intret abdita.

Vapor senescens langueat,
Qui fusus adflatu levi
Tormenta sensim temperet,
Semiustulati corporis.

Bene est, quod ipse ex omnibus
Mysteriarches (2) incidit:
Hic solus exemplum dabit,
Quid mox timere debeant.

Conscende constratum rogum;
Decumbe digno lectulo:
Tunc, si libebit, disputa
Nil esse Vulcanum meum. » —

Haec fante Praefecto, truces
Hinc inde tortores parant
Nudare amictu martyrem,
Vincire membra, et tendere.

(1) *mors inextricabilis.* Mortem inextricabilem vocat, quae animam e corporis vinculis nequeat expedire. Ad hunc plane modum in nobili fabula Alferiana Saul Sacerdotem Abimelechum morti damnavit his verbis: *or via, si tragga A morte tosto; a cruda morte e lunga.* (Atto IV, scena 4ª).

(2) *Mysteriarches.* Vox graeca, quae idem valet ac sacrorum custos vel princeps; Diaconorum autem erat nomini christiano adstipulatos mysteria edocere.

Illi os decore splenduit,
Fulgorque circumfusus est.
Talem revertens Legifer (1)
De monte vultum detulit;

Iudaea quem plebs aureo
Bove inquinata et decolor
Expavit, et faciem retro
Detorsit impatiens (2) Dei.

Talemque et ille praetulit
Oris corusci gloriam
Stephanus (3), per imbrem saxeum
Caelos apertos intuens.

Inluminatum (4) hoc eminus
Recens piatis fratribus,
Baptisma quos nuper datum
Christi capaces fecerat.

Ast impiorum caecitas,
Os oblitum noctis situ,
Nigrante sub velamine
Obducta, clarum non videt.

Aegyptiae plagae in modum,
Quae quum tenebris barbaros
Damnaret, Hebraeis diem
Sudo exhibebat lumine.

(1) *Legifer*. Moises. Aligherius (Inferor. IV, 56) eum *legista* ὑπερκαλῶς denominavit.

(2) *impatiens*. Quae pati et ferre nequit Moisis vultum, propter colloquium cum Deo habitum, effulgentem. V. *Exod.* XXXIV, 29.

(3) *Stephanus*, qui princeps Martyrum fuit.

(4) *Inluminatum*. Tu vero, lector, non iam cum Cellario referas ad caelum, quod Stephano Christianisque reseratum ap paruit, sed ad Laurentii vultum mira luce illustratum.

Quin ipsa odoris qualitas,
Adusta quam reddit cutis,
Diversa utrosque permovet:
His nidor, illis nectar est.

Idemque sensus, dispari
Variatus aura, aut adficit
Horrore nares vindice,
Aut mulcet oblectamine.

Sic, ignis aeternus, Deus:
Nam Christus ignis verus est;
Is ipse complet lumine
Iustos, et urit noxios.

Postquam vapor diutinus
Decoxit exustum latus,
Ultro e catasta (1) iudicem
Compellat adfatu brevi:

— « Converte partem corporis
Satis crematam iugiter,
Et fac perîclum, quid tuus
Vulcanus ardens egerit. » —

Praefectus inverti iubet.
Tunc ille: — « Coctum est, devora;
Et experimentum cape,
Sit crudum, an assum suavius. » —

Haec ludibundus dixerat;
Caelum deinde suspicit,
Et congemiscens obsecrat,
Miseratus urbem Romulam:

(1) *Catasta*. Pegma, tabulatum, ubi venalicios servos exponerent mangones. Inde lectulus, seu crates ferrea dicta est illa catasta, in qua, igne supposito, rei torquendi ante omnium oculos ponerentur. V. Περὶ Στεφ. 56; et ibid. X, 467.

— « O Christe, numen (1) unicum,
O splendor, o virtus Patris,
O factor orbis et poli,
Atque auctor horum moenium,

Qui sceptra Romae in vertice
Rerum locasti, sanciens
Mundum Quirinali togae (2)
Servire, et armis cedere,

Ut discrepantum gentium
Mores et observantiam,
Linguasque, et ingenia, et sacra
Unis domares legibus (3),

En omne sub regnum Remi
Mortale concessit genus:
Idem loquuntur dissoni
Ritus, id ipsum sentiunt.

Hoc destinatum, quo magis (4)
Ius Christiani nominis,
Quodcumque terrarum iacet,
Uno inligaret vinculo.

Da, Christe, Romanis tuis,
Sit Christiana ut civitas,
Per quam dedisti, ut ceteris
Mens una sacrorum foret.

(1) *numen.* Omnes editt. — Perplacuit Heinsio *nomen*, quod in duobus codd. mss. vidisset.

(2) Romulus vita functus Quirinus est dictus, deusque habitus: atque *quirinalia* quae ad Romulum atque romanos adtinerent sunt appellata; ut e. gr. toga quirinalis, quirinale flumen, etc.

(3) *unis domares legibus.* Cfr. S. Avgvst. *De Civitate Dei*, XIX, 17.

(4) V. S. Leonis Magni pulcram in Nativ. SS. Apostolor. Petri et Pauli homiliam.

Confoederantur omnia (1)
Hinc inde membra in symbolum;
Mansuescit orbis subditus:
Mansuescat et summum caput (2).
Advertat, abiunctas plagas
Coire in unam gratiam;
Fiat fidelis Romulus (3),
Et ipse iam credat Numa.
Confundit error Troicus (4)
Adhuc Catonum curiam,
Veneratus occultis focis
Phrygum penates exules.
Ianum bifrontem, et Sterculum (5)
Colit Senatus (horreo
Tot monstra patrum dicere),
Et festa Saturni senis (6).
Absterge, Christe, hoc dedecus,
Emitte Gabriel tuum,
Agnoscat ut verum Deum (7)
Errans Iuli caecitas.

(1) *Confoederantur omnia... Mansuescat orbis.* Ita mss. probatiores, et Aldus. — *Confoederentur... mansuescit orbis* nonnullae editt., quas cum Giselino parvi ducimus.

(2) *et summum caput.* Roma, caput orbis terrarum.

(3) *fidelis Romulus.* Romani principes Christi doctrinam amplexentur.

(4) *Confundit error Troicus.* Vetustiores Romanor. narrationes superstitionesque hic tangit: Romanos scilicet a Troianis oriundos: Phrygiosque Penates, quos Aeneas in Italiam intulerat: ignem, quem Vestales custodirent in abditis religiosissime; aliaque id genus.

(5) *qui stercorandi.* Docet nos Lactantius (*De Falsa Relig.* I, XX.) eum, qui primus agros stercorandi rationem docuit, in Deorum censum fuisse relatum.

(6) *Festa Saturni senis.* De Saturnalibus Vide MACROB. *Saturnalib.* I, VII et nostrum *Contra Symm.* I, 42, et seqq.

(7) *Agnoscat ut verum Deum...* Deum agnoscant Romani caecutientes, qui ab Ascanio Iulo, Aeneae filio, originem ultimam ducunt.

Et iam tenemus obsides
Fidissimos huius spei;
Hic nempe iam regnant duo
Apostolorum principes (1).
Alter vocator gentium,
Alter, Cathedram possidens
Primam, recludit creditas
Aeternitatis ianuas.
Discede, adulter Iuppiter,
Stupro sororis oblite;
Relinque Romam liberam,
Plebemque iam Christi fuge.
Te Paulus hinc exterminat,
Te sanguis exturbat Petri;
Tibi id, quod ipse armaveras,
Factum Neronis (2) officit.
Video futurum Principem
Quandoque, qui, servus Dei,
Tetris sacrorum sordibus
Servire Romam non sinat;
Qui templa claudat vectibus,
Valvas eburneas obstruat,
Nefasta damnet limina,
Obdens ahenos pessulos.
Tunc pura ab omni sanguine
Tandem nitebunt marmora;
Stabunt et aera innoxia,
Quae nunc habentur idola. » —

(1) Christoph. Cellarius Petrum et Paullum App. Romae fuisse, ibique martyrium fecisse non ausus quidem est inficias ire; sed utrum Petrus Cathedram Pontific. in urbe primus possederit, contendit litem adhuc sub iudice esse. Nos rem gravissimam iudicatam iamdiu habemus; sciuntque vel pueri, iam primis quattuor saeculis Christianis SS. Patres docuisse, Petrum, Apostolorum Principem, Romae Summi Pontificis officiis defunctum esse.

(2) *Factum Neronis*. V. Tertvll. *Apologet.* I.

Hic finis orandi fuit,
Et finis idem vinculi
Carnalis: erupit volens
Vocem secutus spiritus.

Vexere corpus, subditis
Cervicibus, quidam patres (1),
Quos mira libertas viri
Ambire Christum suaserat.

Repens (2) medullas indoles
Adflârat, et coëgerat
Amore sublimis Dei
Odisse nugas pristinas.

Refrixit ex illo die
Cultus deorum turpium;
Plebs in sacellis rarior (3):
Christi ad tribunal curritur.

Sic dimicans LAVRENTIVS
Non ense praecinxit latus;
Hostile sed ferrum retro
Torquens in auctorem tulit.

Dum daemon invictum Dei
Testem lacessit praelio,
Perfossus ipse concidit,
Et stratus aeternum iacet.

(1) *quidam patres*. Quidam scilicet senatores, qui doctrinae Christianae nomen dederant.

(2) *repens*. Repentina. Non facimus cum Cellario, qui aliquos codd. secutus, legit: *replens;* uti enim enucleat Giselinus: « libera quaedam et nobilis generositas e vestigio animum subierat. »

(3) *plebs in sacellis rarior*. Hac de re confer PLINII IVNIOR *Ep*. X, ep. 97 Imperatori Traiano.

Mors illa sancti martyris
Mors vera templorum fuit;
Tunc Vesta Palladios Lares (1)
Impune sensit deseri.

Quidquid Quiritum sueverat
Orare simpluvium Numae (2),
Christi frequentans atria,
Hymnis resultat martyrem.

Ipsa et Senatus lumina (3),
Quondam Luperci aut Flamines,
Apostolorum et martyrum
Exosculantur limina (4).

Videmus inlustres domos,
Sexu ex utroque nobiles,
Offerre votis pignora
Clarissimorum liberûm.

(1) *Palladios Lares.* Palladios appellat Lares, quod deos Lares tueri domos suas crederent; eadem plane ratione, qua Statuam Palladis, quae in Vestae penetrali religiose asservaretur, inexpugnabilem urbem confidebant reddituram.

(2) *Orare simpluvium Numae.* Ita Codd. Vatt. potiores, qui orae adtexunt hunc versum: « Ornare res impias Numae ». Glossema istiusmodi miror Aldinam, aliasque editiones germanae lectioni praetulisse. — De simpluvio Numae Cfr. IUVENAL. Sat. VI ex recens. Ruperti.

(3) *Luperci et Flamines.* Scitus enarrator Lupercos et Flamines probe enodabit.

(4) *limina*, seu basis aut limen, cui cancelli aut loricae in locis sacris innitebantur. Limen etiam quandoque *solea* appellabatur, quia e solo assurgit. VERRIVS, ut obiter dicam, apud Festum materiam robusteam definit *soleam*, super quam paries craticius extruitur. Cfr. DV FRESNE. Not. in *Paul. Silentiori.* p. 584-587; et BINGHAMVM, *Orig. Eccl.* T. III, L. 8, C. IV.

Vittatus olim pontifex
Adscitur in signum Crucis;
Aedemque, LAVRENTI, tuam
Vestalis intrat Claudia (1).

O ter quaterque et septies
Beatus Urbis incola,
Qui te, ac tuorum cominus
Sedem celebrat ossuum;

Cui propter advolvi licet (2):
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmura (3)!

Nos Vasco Hiberus dividit (4),
Nos binis remotos Alpibus (5),
Trans Cottianorum iuga,
Trans et Pyrenas ninguidos.

(1) *Vestalis, Claudia.* Vestalis est Claudia illa, quae omnibus innocentiae suae fidem factura, dicitur cingulo suo in siccum littus traxisse navigium sacrum Magnae Matri. V. *Sil. Ital.* XVII, 34; OVID. *Fastor.* IV; et nostrum *Contra Symmac.* sub fin.

(2) *cui propter licet advolvi.* Propter adverb. pro eo quod est prope.

(3) *vota murmura.* Preces votivas, obligatas. In hoc hymno iam vidimus *votas opes* (v. 44). Qui *murmure* legunt mihi absurdi videntur.

(4) *Nos Vasco Hiberus dividit.* Nos scil. Hispanos Iber fluvius secernit, qui Vascones alluit et dividit.

(5) *binis remotos alpibus.* Divisos alpibus Pyrenacis et Cottianis. Iamvero Cottianae Alpes ad radices montis Vesuli in Subalpinis nomen acceperunt a rege Cottio hujusque nominis primo. V. *Cenni storici su Avigliana e Susa* del Padre PLACIDO BACCO da Giaveno, Vol. I; Susa, Tip. Gatti, 1881.

Vix fama nota est, abditis
Quam plena (1) Sanctis Roma sit,
Quam dives urbanum solum
Sacris sepulcris floreat.

Sed qui caremus his bonis,
Nec sanguinis vestigia
Videre coram possumus,
Caelum intuemur eminus.

Sic, sancte Lavrenti, tuam
Nos passionem quaerimus;
Est aula nam duplex tibi,
Hic corporis, mentis polo.

Illic inenarrabili
Adlectus (2) urbi municeps,
Aeternae in arce curiae
Gestas coronam civicam.

Videor videre inlustribus
Gemmis coruscantem virum,
Quem Roma caelestis sibi
Legit perennem consulem.

Quae sit potestas credita,
Et muneris quantum datum,
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus adnuis.

(1) *quam plena....* Hinc discat lector, quam falsi sint Dodwelli sectatores, qui sanctorum martyrum numerum coarctare student, praesertim vero in urbe Roma, quam quis potest verissimo dicere totam generosorum Christianorum sanguine fuisse perfusam ac piatam. Cfr. Visconti, *Mem. Romane d'antichità*. Roma 1825.

(2) *adlectus* etc. Beatus Laurentius, civibus coelestis urbis adnumeratus, civica omnino corona dignus habitus est, quum popularium suorum non tantum saluti prospexerit corporis, quantum animae, quod maximi faciendum.

Quod quisque supplex postulat,
Fert impetratum prospere:
Poscunt, licenter (1) indicant,
Et tristis haud ullus redit.
Ceu praesto semper adsies (2),
Tuosque alumnos urbicos
Lactante complexus sinu
Paterno amore nutrias.
Hos inter, o Christi decus,
Audi et poëtam rusticum (3),
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem sua.
Indignus, agnosco et scio,
Quem Christus ipse exaudiat;
Sed per patronos martyres
Potest medelam consequi.
Audi benignus supplicem
Christi reum Prudentium,
Et servientem corpori
Absolve vinclis saeculi.

(1) *licenter*. In bonam partem, scil. fidenter, ore libero. Vaticanor. pars maior habet *iocanter*, id est lubenter; sed Bodoniana lectio magis ad sensum confert.

(2) *adsies*, παραγωγή.

(3) De animo poëtae humili demissoque iam paucula annotavimus in Praef. Περὶ Στεφ. v. 25 et seqq.

HYMNVS III

PASSIO EVLALIAE

BEATISSIMAE MARTYRIS

Germine nobilis Evlalia,
Mortis et indole nobilior,
Emeritam (1) sacra virgo suam,
Cuius ab ubere progenita est,
Ossibus ornat, amore colit.
Proximus occiduo (2) locus est,
Qui tulit hoc decus egregium,
Urbe potens, populis locuples,
Sed mage sanguine martyrii,
Virgineoque potens titulo.
Curriculis tribus atque novem
Tres hiemes quater (3) attigerat,
Quum crepitante pyra trepidos
Terruit aspera (4) carnifices,
Supplicium sibi dulce rata.
Iam dederat prius indicium,
Tendere se Patris ad solium,
Nec sua membra dicata toro:
Ipsa crepundia (5) reppulerat,
Ludere nescia pusiola.

(1) *Emeritam.* Emerita urbs Hispaniae Vlterioris ad Anam fl.; nunc *Merida nel Guadalquivir.* — *Augusta* a C. Augusto est dicta, qui eo coloniam deduxerat. Cum laude memoratur ab Avsonio, *Ord. Nobil. Urb.* IX.

(2) *proximus occiduo.* Ad occidentem versus.

(3) *Tres hiemes,* etc. Eulalia duodecim annos nata.

(4) *Terruit aspera.* Transl. acris, fortis, flecti nescia.

(5) *crepundia.* A crepando, seu tinniendo vocabantur sistra,

Spernere succina, flere rosas (1),
Fulva monilia (2) respuere;
Ore severa, modesta gradu,
Moribus et nimium teneris
Caniciem meditata senum.

Ast ubi se furiata lues (3)
Excitat in famulos Domini,
Christicolasque cruenta iubet
Tura cremare, iecur pecudis
Mortiferis adolere deis,

Infremuit sacer Evlaliae
Spiritus, ingeniique ferox (4)
Turbida frangere bella parat (5);
Et, rude pectus anhela Deo (6),
Femina provocat arma virûm.

bullae, anuli, globuli, maniculae, siculae, aliaeque id genus reculae, quas pueris, ad ornatum, aut uti ludant indulgemus; pueri enim istiusmodi crepitaculis magnopere delectantur. Nos Itali diceremus *giocatoli, ornamenti o trastulli bambineschi.*

(1) *succina* sub coepit. Succinum, seu electrum gummi quoddam genus est ex nonnullis arboribus guttatim fluens. V. Plin. *Hist. Nat.* xxxvii, 2, 11. n. 1, et 2. Succino autem quaedam perficiebantur ad ornatum puellarem spectantia. — *flere rosas,* id est lacrimis obortis abiicere. Sunt qui legant *flare rosas,* nempe spernere, ab se removere; quo sensu Cfr. Sveton. *Calig.* xxxviii.

(2) *fulva monilia.* Aurea monilia.

(3) *furiata lues.* Furore concitata in Christianos oppugnatio.

(4) *ingeniique ferox. Ferox* in bonam partem est qui ingenio suo fidit; unde fortis animosus. Differt a *ferus.* V. Lavrent. Vallam., *Elegant.* iiii, 97. Cfr. et Avsonii Popmae: *De Differentiis Verborum,* etc.

(5) *turbida,* etc. destinat se in bellum inferre quo omnia turbantur, et triumphum reportare.

(6) *rude pectus anhela Deo.* Ἑλληνισμός. Simplici, inexperto pectore in Deum lata, quamquam femina, provocat arma virorum.

Sed pia cura parentis agit,
Virgo animosa domi ut lateat,
Abdita rure et ab urbe procul,
Ne fera sanguinis in pretium
Mortis amore puella ruat. (1)
Illa perosa quietis (2) opem
Degeneri tolerare mora, (3)
Nocte fores sine teste movet,
Septaque claustra fugax aperit;
Inde per invia carpit iter.
Ingreditur pedibus laceris
Per loca senta situ et vepribus, (4)
Angelico comitata choro:
Et licet horrida nox sileat,
Lucis habet tamen illa ducem.
Sic habuit generosa patrum
Turba columniferum radium,
Scindere qui tenebrosa potens,
Nocte viam face perspicua
Praestitit, intereunte chao. (5)
Non aliter pia Virgo, viam
Nocte secuta, diem meruit;
Nec tenebris adoperta fuit,
Regna Canopica (6) quum fugeret,
Et super astra pararet iter.

(1) *mortis amore.* Puella martyrii desiderio flagrans.

(2) *perosa quietis.* Casum patrium *quietis* pro accusandi casu habemus.

(3) *degeneri mora.* Perinde tamquam martyrium reformidare videretur. V. infra v. 64.

(4) *per loca senta situ,* per loca squalida, inculta, quod Virgilianum est. V. *Aen.* VI, 462.

(5) *chao,* tenebris.

(6) *regna Canopica.* Aegyptia. Virgini Eulaliae Aegyptus pro orbis terrarum amplitudine erat.

Illa gradu cita pervigili,
Millia multa prius peragit,
Quam plaga pandat Eoa polum: (1)
Mane superba tribunal adit, (2)
Fascibus adstat et in mediis (3),
Vociferans: — « Rogo, quis furor est
Perdere praecipites animas,
Et male prodiga corda sui
Sternere rasilibus scopulis,
Omnipatremque negare Deum?
Quaeritis, o miseranda manus,
Christicolarum genus? en ego sum
Daemonicis (4) inimica sacris:
Idola protero sub pedibus,
Pectore et ore Deum fateor.
Isis, Apollo, Venus nihil est,
Maximianus et ipse nihil:
Illa nihil, quia facta manu;
Hic manuum quia facta colit:
Frivola utraque (5), et utraque nihil.
Maximianus (6) opum dominus,

(1) *quam plaga pandat Eoa polum.* Antequam sol exoriens plagas eoas luce sua compleat.

(2) *tribunal adit.* Nonnulli martyres Spiritu Sancto afflati volentes et alacres nomina sua ad iudices deferebant, pro catholica doctrina animam ponere discupientes. V. Praef. ad S. IVSTINI opera c. XIII; et HADRIAN. BAILLETVM in Praef. ad *Vitas SS PP.*, II, § 75.

(3) *fascibus in mediis:* inter lictores, qui fasces magistratibus praeferrent.

(4) *daemonicis* pro *daemoniacis* usurpavit et SEDVLIVS.

(5) *frivola utraque.* Alpha in utraque licenter producitur.

(6) *Maximianus.* Militum voluntate Dioclesianus Imperator dictus, Nicomediae in Bitinia imperii sedem constituit, atque Marcum Aurelium Valerium Maximianum commilitonem suum,

Et tamen ipse cliens lapidum, (1)
Prostituat, voveatque suis
Numinibus caput ipse suum.
Pectora cur generosa (2) quatit?

Dux bonus (3), arbiter egregius
Sanguine pascitur innocuo;
Corporibusque piis inhians,
Viscera sobria dilacerat,
Gaudet et excruciare fidem,

Ergo age, tortor, adure, seca,
Divide membra coacta luto.
Solvere rem fragilem facile est,
Non penetrabitur interior
Exagitante dolore animus. » —

Imperii collegam sibi adscivit, cui occidentis provincias regendas tradidit. Hic Mediolani habitavit, et crudelitatis dioclesianeae aemulus in Christianos odium suum inexplebile convertit; scilicet putabant se omnino Christi doctrinis addictos ab stirpe eradicaturos. Praestat hic inscriptionem in medium adferre, a Grvtero apud Hispanos repertam, quae huiuscemodi est:

Dioclesianus . Iovius . et
Maximian. Herculeus
Caes. augg.
Amplificato . per . orien
tem . et occidentem
imp. rom.
et . nomine . Christianorum
deleto . qui . remp. ever
tebant

(1) *cliens lapidum.* Cliens transl., qui in cuiuspiam numinis fidem se collocat. V. Hor. Ep. II, 2, 78: et Mart. XII, 77. — Lapidei autem plerumque dii effingebantur.

(2) *generosa.* Christianorum.

(3) *Dux bonus.* εἰρονικῶς.

Talibus excitus in furias
Praetor, ait : — « Rape praecipitem
Lictor, et obrue suppliciis :
Sentiat esse deos patrios,
Nec leve principis imperium.
Quam cuperem tamen, ante necem,
Si potis es, (1) revocare tuam,
Torva puellula, nequitiam :
Respice gaudia quanta metas,
Quae tibi fert genialis honor. (2)
Te lacrimis labefacta domus
Prosequitur, generisque tui
Ingemit anxia nobilitas,
Flore quod occidis in tenero,
Proxima dotibus et thalamo.
Non movet aurea pompa tori?
Non pietas veneranda senum,
Quos, temeraria, debilitas?
Ecce parata ministeria
Excruciabilis exitii.
Aut gladio feriere caput,
Aut laniabere membra feris :
Aut facibus data fumificis, (3)
Flebiliterque ululanda tuis
In cineres resoluta flues.
Haec, rogo, quis labor est fugere?
Si modicum salis eminulis (4)

(1) *si potis es.* Ita quattuor pervetusti codd. Vaticc., et Heinsiani probatiores. — *Si potis est*, Weitzivs.

(2) *genialis honor.* Nuptiae, quibus foecunditas honori est.

(3) *fumicis*, fumosis, fumum emittentibus. V. Ovid. *Met.* VII, 114.

(4) *modicum salis.* Vel apud Hebraeos sal in sacris obeundis est adhibitum. Cfr. *Levit.* II, ubi vide interpretes. — Notandae sunt dictiones *eminulis digitis; benigna virgo tangere,*

Turis et exiguum digitis
Tangere, virgo benigna velis,
Poena gravis procul abfuerit. » — (1)

Martyr ad ista nihil; sed enim
Infremit, inque tyranni oculos
Sputa iacit : simulacra dehinc
Dissipat, impositamque molam (2)
Turibulis pede prosubigit. (3)

Nec mora : carnifices gemini
Iuncea pectora dilacerant, (4)
Et latus ungula virgineum
Pulsat utrimque, et ad ossa secat,
Evlalia numerante notas. (5)

Scriberis ecce mihi, Domine :
Quam iuvat hos apices legere,
Qui tua, Christe, tropaea notant?
Nomen et ipsa sacrum loquitur
Purpura sanguinis eliciti.

quae poëtam ostendunt delicatissimum. Lactantivs, *De falsa Relig.*, L. I, palpum veluti obtrudens falsis religionibus adhaerentibus scriptum reliquit: « Colunt thure ac summis digitis! »

(1) *abfuerit*. Ita in uno codice. — Veitzivs et Heinsivs ex quibusdam codicibus describunt *afuerit*.

(2) *impositam molam*. Mola instrumentum, quo frumenta aliaeque fruges conteruntur et in farinam rediguntur. Hinc ipsum far tostum, molitum, saleque sparsum (unde mola salsa), quo in sacris uterentur, et quo victimas et cultros perspergerent. Sunt qui solum molam credant diis fuisse oblatam. V. Serv. ad Ecl. VIII, v. 82.

(3) *pede prosubigit*. Virgilianum est. Cfr. *Georg.* III, 256.

(4) *iuncea pectora:* iunci similia ob gracilitatem. V. Terent. Eun. II, 3, 23.

(5) *numerante notas*. Notae signatae ab ungulis in corpore, quod tamquam sanguine esset inscriptum.

Haec sine fletibus et gemitu
Laeta canebat et intrepida:
Dirus abest dolor ex animo,
Membraque picta cruore novo
Fonte cutem recalente lavant.
Ultima carnificina dehinc, (1)
Non laceratio vulnifica,
Crate tenus nec arata cutis, (2)
Flamma sed undique lampadibus
In latera stomachumque furit.
Crinis odorus ut in iugulos (3)
Fluxerat, involitans humeris,
Quo pudibunda pudicitia
Virgineusque lateret honos,
Tegmine verticis opposito: (4)
Flamma crepans volat in faciem,
Perque comas vegetata caput
Occupat, exsuperatque apicem:
Virgo, citum cupiens obitum,
Appetit et bibit ore rogum. (5)
Emicat inde columba repens, (6)
Martyris os nive candidior
Visa relinquere, et astra sequi.
Spiritus hic erat Eulaliae
Lacteolus, celer, innocuus.

(1) *ultima carnificina*. Cruciatus, tormentum supremum ignis fuit.

(2) *crate tenus*. Costae corporis nostri tamquam crates habentur, uti poëtice cecinerunt Virg. *Aen.* XII, 508; Ovid. *Metam.* VII, 805.

(3) *Ut in iugulos*. Videlicet in pectora. uti in ora notatur unius cod. Vatic. In omnibus vero Codd. Vaticc. legitur *et in iugulos*.

(4) *opposito tegmine*. Capillis.

(5) *rogum*. Flammas e rogo effusas.

(6) *Columba repens*. Virgo sub specie columbae coelum pe-

Colla fluunt, abeunte anima,
Et rogus igneus emoritur:
Pax datur artubus exanimis,
Flatus (1) in aethere plaudit ovans,
Templaque celsa petit volucer. (2)
Vidit ut ipse satelles avem
Foeminae ab ore meare palam,
Obstupefactus et attonitus
Prosilit, et sua gesta fugit:
Lictor et ipse fugit pavidus.
Ecce, nivem glacialis hiems
Ingerit, et tegit omne forum:
Membra tegit simul EVLALIAE,
Axe iacentia sub gelido,
Pallioli vice linteoli. .
Cedat amor lacrimantum hominum,
Qui celebrare suprema solent,
Flebile cedat et officium:
Ipsa elementa, iubente Deo,
Exsequias tibi, Virgo, ferunt.
Nunc locus Emerita (3) est tumulo
Clara colonia Vettoniae (4),

tens. Ceterum huius columbae mentionem facit missale illud Gothicum, editum a MABILLONO in sua Liturgia Gallicana, L. III; deque eadem est sermo in *Codd. Sacramentor.* p. 306, Venerab. Card. THOMASII. — *repens* adverbial., quemadmodum in hymno S. Laurentii, v. 493.

(1) *flatus:* anima, spiritus.

(2) *templaque celsa.* Templum, a tuendo, locus dicitur ab omni parte apricus, vel unde omnis pars potest videri. V. VARRON., *De Ling. Lat.* VI, 2. Hinc pro caelo.

(3) *Emerita*, recentioribus *Merida*, urbs Hispaniae ulterioris.

(4) *Colonia Vettoniae.* Vettonia provincia hispanica, quae a Durio fl. ad Tagum pertinet, ubi nunc est regio, quam vocamus « *la Estremadura* ». De vocis quantitate adi V. LANFRANCHII *Lexicon Poëtic. totius Linguae Latinae.*

Quam memorabilis amnis Anas (1)
Praeterit, et viridante rapax
Gurgite moenia pulchra lavit.

Hic, ubi (2) marmore perspicuo
Atria luminat alma nitor
Et peregrinus, et indigena,
Relliquias cineresque sacros
Servat humus veneranda sinu.

Tecta corusca super rutilant
De laquearibus aureolis,
Saxaque caesa solum variant,
Floribus ut rosulenta putes
Prata rubescere multimodis.

Carpite purpureas violas,
Sanguineosque crocos metite:
Non caret his genialis hiems,
Laxat et arva tepens glacies,
Floribus ut cumulet calathos.

Ista comantibus e foliis
Munera, virgo, puerque, date:
Ast ego serta choro in medio
Texta feram pede dactylico,
Vilia, marcida, festa tamen.

Sic venerarier (3) ossa libet,

(1) *Anas*. Nos: *la Gaudiana*, fluvius Hispaniae, qui Baēticam a Lusitania magna ex parte disterminat; de quo V. Plin. *Hist. Nat.* III, 1, 3.

(2) *Hic, ubi*. Ordo est: humus veneranda servat in sinu relliquias et cineres sacros (Virginis) hic, ubi nitor peregrinus et indigena illuminat atria alma marmore perspicuo. — *luminat* pro illuminat, illustrat verbum occurrit apud seriores latinos Mart. Capellam, Apvleivm et Avienvm.

(3) *venerarier* paragoge.

Ossibus altar et impositum: (1)
Illa Dei sita sub pedibus
Prospicit haec, populosque suos
Carmine propitiata fovet.

IV

PASSIO DECEM ET OCTO MARTYRVM CAESARAVGVSTANORVM

Prae ceteris Hispaniae urbibus patriam Caesaraugustam, quam vocat *suam*, duodeviginti Martyrum relliquiis ditatam, celebrat; a quorum tamen numero VINCENTIVM indidem oriundum quidem, sed Valentiae supplicio affectum, atque Virginem ENCRATIDEM, CAIUMQVE et CREMENTIVM excipit.

Bis novem noster populus sub uno
Martyrum servat cineres sepulcro:
Caesaraugustam vocitamus urbem, (2)
Res cui tanta est.
Plena magnorum domus Angelorum
Non timet mundi fragilis ruinam,
Tot sinu gestans simul offerenda
Munera Christo.

(1) *Ossibus altar et impositum.* Altaria olim imponebantur locis, ubi sacrae relliquiae SS. martyrum asservarentur. V. Cardinal. IOANN. BONAM, *Rerum Liturgicarum*, lib. I, c. XIX. — *Altar,* apoc. pro altare. V. et hymn. S. Vincentii Mart. v. 515. Verba autem *illa Dei sita sub pedibus,* poëtam revera Deum I. Christum in Eucharistia credidisse inesse demonstrant, uti clarius mentem suam ostendit in carmine ad honorem S. Vincentii, atque Hyppoliti.

(2) *Caesaraugustam,* olim Saldubam, nunc *Saragozza*, Hispaniae Tarraconensis urbem ad Iberum fl., quae Romanorum colonia fuit, ita cognominata ab Octaviano Caesare Augusto; quaeque, sine firmissimo tamen fundamento, patria fertur Prudentii nostri.

Quum Deus dextram quatiens coruscam
Nube subnixus veniet rubente,
Gentibus iustam positurus aequo
Pondere libram; (1)

Orbe de magno caput excitata
Obviam Christo properanter ibit
Civitas quaeque, pretiosa portans
Dona canistris.

Afra Carthago (2) tua promet ossa,
Ore facundo, CYPRIANE (3) doctor:
Corduba (4) ACISCLVM dabit, et ZOELLVM (5);
Tresque coronas. (6)

Tu tribus gemmis diadema pulcrhum (7)
Offeres Christo genitrix piorum,
Tarraco, intexit cui FRVCTVOSVS
Sutile vinclum.

(1) *pondere libram.* Divinum mortalium iudicem cum statera ius dicentem nobis proposuit Daniel c. XXVII; ubi vide sis MAZOCHIVM, *Spicil. Bibl.* P. alt. p. 285.

(2) *Afra Carthago.* Urbs princeps Africae in ora littorali, quae alia est a Carthagine Spartaria, seu Nova, in Hispania Tarraconensi, cui recentiores nomen fecerunt *Cartagena.*

(3) *Cypriane.* V. Carmen S. Cypriano inscriptum, quod huius libri est XIII, versibus archilochiis compositum.

(4) *Corduba*, urbs ad Baetim fl., ubi ortum duxerunt Seneca et Martialis.

(5) *Zoellum*, seu Zoilum.

(6) *tresque coronas;* alios fortasse tres martyres corona redimiendos; vel potius alium tantum his duobus supra dictis adiungendum, cuius nomen nos latet. V. CHAMILLARD. et RVINART. in *Act. Martyr.* p. 411, edit. Veron.

(7) *Tribus gemmis.* Scilicet Augurio et Eulogio diacon., tum Fructuoso episcopo, quos singillatim dilaudat in hoc carmine VI.

Nomen hoc (1) gemmae strophio illigatae est:
Emicant iuxta lapides gemelli, (2)
Ardet splendor parilis duorum
Igne corusco.

Parva Felicis decus exhibebit
Artubus sanctis locuples Gerunda: (3)
Nostra gestabit Calagurris ambos, (4)
Quos veneramur.

Barcinon claro Cvcvphate freta
Surget, et Pavlo speciosa Narbo:
Teque praepollens Arelas habebit,
Sancte Genesi. (5)

Lusitanorum caput oppidorum (6)
Urbs, adoratae cineres puellae (7)
Obviam Christo rapiens, ad aram
Porriget ipsam.

(1) *Nomen hoc... illigatae*, scil. Fructuosi. — *illigatae*, duo Vaticc. potiores, Heins., et Rvinartivs, qui totum hymnum cum tribus antiquissimis codicibus contulit. In ceteris codd. Weitzianis et Vaticanis, tum in edit. Amstelodamensi est *illigatum*.

(2) *Lapides gemelli*. Perstat in metaph. a lapidibus praetiosis petita, atque Augurium Eulogiumque vocat lapides gemellos.

(3) *Gerunda*, nunc *Girona;* parva urbs in Hispania Tarraconensi, seu Citeriori.

(4) *gestabit*. Ita codd. mss. Perperam Cellarivs *praestabit*. — *Calagurris ambos*, scil. Emeterium, et Chelidonium, de quibus in hymno I.

(5) *S. Genesi*. Non confundendus cum S. Genesio mimo, qui et martyrio est honestatus. V. Rvinart. *Acta Sincera*, p. 472.

(6) *Lusitanor. caput oppidor*. Augusta Emerita, de qua vide init. carminis III.

(7) *puellae:* Eulaliae.

Sanguinem Ivsti, cui Pastor haeret,
Ferculum duplex, geminumque donum
Ferre Complutum gremio iuvabit, (1)
Membra duorum.

Ingeret Tingis sua Cassianvm, (2)
Festa Massylûm monumenta regum;
Qui cinis (3) gentes domitas coëgit
Ad iuga Christi.

Singulis paucae, tribus aut duobus
Forsan, et quinis aliquae placebunt
Testibus Christi, prius hostiarum (4)
Pignore functae.

Tu decem Sanctos revehes et octo,
Cesaraugusta studiosa Christi,
Verticem flavis oleis revincta
Pacis honorae. (5)

Sola in occursum numerosiores
Martyrum turbas Domino parasti,
Sola, praedives pietate, multa
Luce frueris.

(1) *Complutum:* urbs Hispaniae Tarraconensis in Carpetanis ad Tagum fl., nunc *Alcala de Henares;* quae nobilis fuit ob coetum litteratum a Francisco Ximenio, patre purpurato, ibi constitutum.

(2) *Tingis.* Oppidum Mauritaniae, nunc *Tanger*, proxime fretum Herculeum seu Gaditanum, Oceano obversum. Hic autem Cassianus martyr alius omnino est a Cassiano cognomine, de quo est hymnus IX huius libri.

(3) *qui cinis,* qui Cassianus, nunc cinis.

(4) *pignore hostiarum.* Martyres sunt tamquam pignora, Deum eorum precibus placabilem nobis fore.

(5) *pacis honorae.* Heinsivs; ceteri ferme omnes cum Rvinartio, *pacis honore.*

Vix parens orbis populosa Poeni, (1)
Ipsa vix Roma in solio locata,
Te, decus nostrum, superare in isto
Munere digna est.
Omnibus portis sacer immolatus
Sanguis exclusit genus invidorum
Daemonum, et nigras pepulit tenebras
Urbe piata.
Nullus umbrarum latet intus horror
Pulsa nam pestis populum refugit;
Christus in totis habitat plateis,
Christus ubique est.
Martyrum credas patriam coronis
Debitam sacris: chorus unde surgens
Tendit in caelum niveus togatae
Nobilitatis.
Inde, VINCENTI, tua palma nata est;
Clerus hic tantum peperit triumphum:
Hic sacerdotum domus infulata (2)
Valeriorum.
Saevus antiquis quoties procellis
Turbo vexatum tremefecit orbem,
Tristior templum rabies in istud
Intulit iras.
Nec furor quisquam sine laude nostrum
Cessit, aut clari vacuus cruoris:
Martyrum semper numerus sub omni
Grandine crevit. (3)

(1) *parens orbis Poeni.* Carthago, caput Africae

(2) *domus infulata.* Quo tempore hosce versus pangeret Prudentius Caesaraugustae pontifex erat Valerius, seu Valerianus, cui hymnus XI inscribitur.

(3) *numerus... crevit.* In Epist. S. IVSTINI ad Diognetum haec legimus: « Dum Christiani suppliciis afficiuntur, quotidie numerus eorum crescit. »

Nonne, VINCENTI, peregri necandus (1)
Martyr, his terris tenui notasti (2)
Sanguinis rore speciem futuri
Morte propinqua?
Hoc colunt cives, velut ipsa membra
Caespes includat suus, et paterno
Servet amplectens tumulo beati
Martyris ossa.
Noster est, quamvis procul hinc in urbe
Passus ignota dederit sepulcri
Gloriam victor, prope litus altae
Forte Sagunti. (3)
Noster et nostra puer in palaestra,
Arte virtutis fideique olivo
Unctus, horrendum didicit domare
Viribus hostem.
Noverat templo celebres in isto
Octies partas deciesque palmas,
Laureis doctus patriis eadem
Laude cucurrit.
Hic et, ENCRATI, recubant tuarum (4)
Ossa virtutum: quibus efferati
Spiritum mundi violenta Virgo (5)
Dedecorasti.

(1) *peregri*, ἀρχαϊκῶς, idem quod peregre; hoc tamen cum discrimine, quia *peregre* inservit et statui in loco, et motui: *peregri* tantum statui. V. Charis. II, p. 189. *Peregre* tamen plerique legunt; Vincentius enim martyrium fecit Valentiae, uti mox v. 100; et apparet ex *Actis* Ruinartianis.

(2) *tenui sanguinis rore.* In patria videtur pro Christo iam male mulcatus esse.

(3) *altae... Sagunti.* Saguntum urbs ab Hercule inaedificata, ab Hannibale excisa, fuit ultra Iberum prope Valentiam, ubi S. Vincentius martyrio vitam implevit.

(4) *Eucrati.* In Martyrol. xvI cal. Maias legitur: « *Ibidem* (Caesaraugustae) S. Eucratidis Virg. et Mart. »

(5) *violenta Virgo.* Epitheton *violenta* in mentem nobis re-

Martyrum nulli (1) remanente vita
Contigit terris habitare nostris:
Sola tu morti propriae superstes
Vivis in orbe.
Vivis, ac poenae seriem retexis,
Carnis et caesae spolium retentans,
Tetra quam sulcos habeant amaros
Vulnera, narras.
Barbarus tortor latus omne carpsit,
Sanguis impensus, lacerata membra,
Pectus abscissa patuit papilla
Corde sub ipso.
Iam minus mortis pretium peractae est, (2)
Quae, venenatos abolens dolores,
Concitam membris tribuit quietem
Fine soporo.
Cruda te longum tenuit cicatrix,
Et diu venis dolor haesit ardens
Dum putrescentes tenuat medullas
Tabidus humor.
Invidus quamvis obitum supremum (3)
Persecutoris gladius negarit,
Plena te, martyr, tamen, ut peremtam, (4)
Poena coronat.

vocant quae legimus MATTH. 1I, et ALIGHERIVS in suo *Parad.* XX, 94 trastulit: « *Regnum coelorum* violenzia pate. »

(1) *Martyrum nulli.* Omne tormentorum genus perpessa, ipsa sibi perinde superstes, vulnera sua ceteris potuit narrare.

(2) *Iam minus mortis.* Si tecum conferantur, minoris faciendi sunt quotquot inter cruciatus properum vitae exitum invenerunt.

(3) *Invidus quamvis.* In illa Christianorum atroci oppugnatione, quam Decius excitavit, uti habet S. CYPRIANVS, Ep. LIII: « Cupientibus mori non permittebatur occidi. »

(4) *plena te.* Bene multi equidem fuerunt, qui animam pro

Vidimus (1) partem iecoris revulsam
Ungulis longe iacuisse pressis:
Mors habet pallens aliquid tuorum, (2)
Te quoque viva.

Hunc novum nostrae titulum fruendum
Caesaraugustae dedit ipse Christus,
Iuge viventis domus ut dicata
Martyris esset.

Ergo ter senis sacra candidatis, (3)
Dives OPTATO, simul et LVPERCO
Perge conscriptum tibimet senatum
Pangere psalmis.

Ede SVCCESSVM; cane MARTIALEM,
Mors et VRBANI tibi concinatur:
IVLIAM (4) cantus resonet, simulque
QVINTILIANVM.

PVBLIVM pandat chorus, et revolvat
Quale FRONTONIS fuerit tropaeum;
Quid bonus FELIX tulerit, quid acer
CAECILIANVS.

Christi doctrina ponere non potuerunt, quamquam innumeris cruciatibus vexati, quique ad finem vitae natura constitutum pervenerunt: hi tamen in martyrum censum sunt adscripti. V. S. CYPRIAN. Ep. IX, et LVIII, edit. Pamel.

(1) *vidimus.* Cernere erat.

(2) *tuorum.* Subintell. membrorum.

(3) *Ergo ter senis.* Hi sunt XVIII martyres Caesaraugustani uno eodemque die necati, quorum nomina recenset singillatim, praeter quattuor Saturninos, quos, metri gratia, simul constrinxit, uti infra videbimus ad v. 162.

(4) *Iuliam.* GISELINVS. — In cod. S. Michaëlis apud RVINARTIVM, VSVARDVS, ADO, aliique *Iulium.*

Quantus, Evoti, (1) tua bella sanguis
Tinxerit, quantus tua, Primitive:
Tum tuos vivax recolat triumphos
Laus, Apodemi.

Quattuor post hinc superest virorum
Nomen extolli, renuente metro, (2)
Quos Satvrninos memorat vocatos
Prisca vetustas.

Carminis leges amor aureorum
Nominum parvi facit, et loquendi
Cura de sanctis vitiosa non est,
Nec rudis unquam.

Plenus est artis modus, adnotatas
Nominum formas recitare Christo,
Quas tenet Caeli liber, explicandus (3)
Tempore iusto.

Octo tunc Sanctos recolet decemque
Angelus, coram Patre Filioque,
Urbis unius regimen tenentes
Iure sepulcri.

(1) *Evoti.* Discrepant codices in hoc nomine; alii enim *E-vovoti* habent, aut *Eventi*, quibus consentiunt Martyrologia.; alii *Euvanti.* Sed enim Heinsivs, codicibus probe inspectis, iisdemque perantiquis, standum esse contendit iis, qui *Evoti* legunt.

(2) *renuente metro.* Ob metri leges, quas observare religio semper fuit poëtis, Horativs Serm. I, Sat. V, v. 87, missum facit oppidulum Equotutiensium; Ovidivs ex Pont. IV, ep. 12 veniam petit ab amico Tuditano, quod nullo modo eius nomen in elegiam conferre potuerit; eadem fermo querela Martialis occurrit in epigr. IX libri noni.

(3) Quem librum memorat S. Ioan. in Apocalypsi. — *explicandus.* Giselin. — *explicandas,* nempe formas, in Oxonio et duob. Vaticc.

Quin ad antiquum numerum trahentur
Viva post poenae specimen puella, (1)
Morsque Vincenti, cui sanguis hinc est,
Fons et honoris.

Additis Caio (nec enim silendi), (2)
Teque, Crementi; quibus incruentum
Ferre provenit decus ex secundo
Laudis agone.

Ambo confessi Dominum, steterunt
Acriter contra fremitum latronum: (3)
Ambo gustarunt leviter saporem
Martyriorum.

Haec, sub altari sita sempiterno, (4)
Lapsibus nostris veniam precatur
Turba, quam servat procerum creatrix
Purpureorum. (5)

Nos pio fletu, date, perluamus
Marmorum sulcos, (6) quibus est operta
Spes, ut absolvam retinaculorum
Vincla meorum.

(1) *viva puella*, id est Encratis.

(2) *additis Caio* etc. Caius et Crementius duo sancti viri qui, licet sanguinem non profuderint pro Christi doctrina confirmanda, sunt tamen martyribus annumerati, atque xvI cal. maias publice coluntur.

(3) *latronum*, transl. daemonum, vel tyrannorum, qui Christianos insequerentur: De voce Cfr. Ioseph. Mannvm, *Della fortuna delle parole.*

(4) *sub altari.* Apocal. vI, 9.

(5) *Procerum creatrix Purpureor.* Caesaraugusta magnum edidit martyrum foetum.

(6) *marmorum sulcos:* litteratos lapides, in quibus litterae. veluti sulci, incidebantur. Sub iis marmoribus relliquiae occuluntur martyrum; quorum fretus patrocinio sperat poēta posse peccatorum suorum veniam consecuturum.

Sterne te totam, generosa sanctis
Civitas mecum tumulis; deinde
Mox resurgentes animas et artus
Tota sequeris. (1)

V

PASSIO S. VINCENTII MARTYRIS

Invictam ac prorsus mirabilem, inter varia tormentorum genera, huius martyris constantiam ac gloriosam exitum celebrat; deinde narrat quae tyrannus egerit, ut exanimum martyris corpus dissiparet; et quomodo divinitus servatum fuerit.

Beate martyr, prospera
Diem triumphalem tuum,
Quo sanguinis merces tibi
Corona, Vincenti, datur.

Hic te ex tenebris saeculi,
Tortore victo et iudice,
Evexit ad caelum dies,
Christoque ovantem reddidit.

Nunc angelorum particeps,
Conlucis insigni stola, (2)
Quam testis indomabilis
Rivis cruoris laveras.

Quum te satelles idoli,
Praecinctus atris legibus,
Litare divis gentium
Ferro et catenis cogeret.

(1) *tota sequeris.* Quod fiet in splendido iudicii novissimi die.

(2) *Conlucis insigni stola.* Heins. ex cod. Putean. Alii in secunda coniugat. *conluces.*

Ac verba primum mollia
Suadendo blande effuderat;
Captator ut vitulum lupus
Rapturus adludit prius.
— « Rex, inquit, orbis maximus, (1)
Qui sceptra gestat Romula,
Servire sanxit omnia
Priscis deorum cultibus.
Vos, Nazareni, adsistite, (2)
Rudemque ritum spernite: (3)
Haec saxa, quae princeps colit, (4)
Placate fumo et victima. » —
Exclamat hic VINCENTIVS,
Levita de tribu sacra,
Minister altaris Dei,
Septem ex columnis lacteis: (5)
— « Tibi ista praesint numina,
Tu saxa, tu lignum colas;
Tu mortuorum mortuus
Fias deorum pontifex.

(1) *Rex orbis maximus.* Maximianus Herculeus, quo imperante Dacianus praefuit Hispaniae, uti adparet ex inscriptione GRVTERI, pag. 199.

(2) *Vos Nazareni.* Christiani per contemptum *Nazarenorum* nomine appellabantur et a Iudaeis, et ab iis qui turpiter a Christiano nomine desciverant, tum denique ab iis, qui pravas superstitiones profiterentur. V. BINGHAM., *Orig. Eccl.* T. I, L. I, c. I; MAMACH. *Orig. Antiquit. Christian.* I, c. II.

(3) *rudemque ritum.* Rudis Christianorum ritus erat, quod novus, multitudini ignotus, vel etiam quod hominibus repugnaret voluptatum illecebris irretitis.

(4) *haec saxa.* Omnes codd. tum WEIZIANI, quum HEINS. et Vaticc. Nihilo tamen secius GISELINVS legendum praecipit, *sacra* « neque enim, ait, ipse opinor, Datianus fassurus a se saxa coli pro eo numine, quod figura repraesentari credebat »!

(5) *columnis lacteis.* Metaph. longius petita.

Nos lucis auctorem Patrem,
Eiusque Christum Filium,
Qui solus ac verus Deus,
Datiane, confitebimur. » —
Hic ille iam commotior,
— « Audesne, non felix, ait,
Ius hoc deorum et principum
Violare verbis asperis?
Ius et sacratum et publicum,
Cui cedit humanum genus?
Nec te iuventae fervidae
Instans perîclum permovet?
Hoc namque decretum cape:
Aut ara ture et caespite (1)
Praecanda iam nunc est tibi,
Aut mors luenda est sanguine. » —
Respondit ille altrinsecus:
— « Age ergo, quidquid virium,
Quidquid potestatis tibi est,
Palam reluctor, exsere.
Vox nostra quae sit, accipe:
Est Christus et Pater Deus;
Servi huius et testes sumus:
Extorque, si potes, fidem.
Tormenta, carcer, ungulae,
Stridensque flammis lamina, (2)

(1) *ara et caespite.* Caespitum usus in aris extruendis fuit. V. Hor. *Lyricor.* III, 8, 2; Ovid. *Trist.* V, 5, 9. In Περὶ Στεφ. hymno X, 187, pro ara ipsa noster usurpat caespitem. Quid quid autem Mazochivs iuniores carpat, qui hanc vocem cum diphtongo scribunt, nos cum Festo vocem a caedendo derivamus, atque cum Cellario ac Dasqvio facimus, qui diphtongum retinent.

(2) *Stridensque flammis lamina.* Laminae aut ferreae, aut aereae in reis cruciandis vel antiquitus corpori candentes admovebantur. V. Plavt. *Asinar.* III, 2, 4; Lvcr. *De Rer. Nat.* III, 1031; Tvll. *Verrin.* VII, 63.

Atque ipsa poenarum ultima
Mors Christianis ludus est. (1)
O vestra inanis vanitas,
Scitumque brutum Caesaris! (2)
Condigna vestris sensibus
Coli iubetis numina.
Excisa fabrili manu,
Cavis recocta et follibus,
Quae voce, quae gressu carent,
Immota, caeca, elinguia.
His sumptuosa splendido
Delubra crescunt marmore:
His colla mugientium
Percussa taurorum cadunt.
At sunt et illic spiritus. (3)
Sunt; sed magistri criminum (4),
Vestrae et salutis aucupes,
Vagi, impotentes, sordidi;
Qui vos latenter incitos
In omne compellunt nefas,
Vastare iustos caedibus,
Plebem piorum carpere.

(1) *Mors Christianis ludus est.* Rvinartivs de S. Barlaamo mart. loquens, haec S. Basylii verba refert ex quadam Homilia deprompta: « Exultant martyres, dum trucidantur ».

(2) *scitumque brutum:* stupidum, iniquum. De voce *brutus* V. *Cathemer.*, vII, 89.

(3) *At sunt et illic spiritus* etc. Ita Heins. ex cod. Puteano. In vulgatis tamen editionibus praeeunte Giselino legitur: « *Adsunt et illic spiritus, Sed sunt*, etc. » quae Vaticanis plerisque et Weitzianis omnibus respondent.

(4) *magistri criminum.* De istiusmodi magistris, omni vitae dedecore et crudelitate infames Cfr. Grotivm, *De Verit. Relig. Christ.* L. IV, cap. 3; et nostrum Περὶ Στεφ. hymn. X.

Norunt et ipsi ac sentiunt
Pollere Christum et vivere,
Eiusque iamiamque adfore
Regnum tremendum perfidis.
Clamant fatentes denique
Pulsi e latebris viscerum,
Virtute Christi et nomine:
Divique et îdem daemones. » —
His intonantem martyrem
Iudex profanus non tulit.
Conclamat: — « Os obtrudite,
Ne plura iactet improbus.
Vocem loquentis claudite,
Raptimque lictores date,
Illos reorum carnibus
Pastos, manuque exercitos.
Iam faxo, ius praetorium
Conviciator sentiat,
Ne impune, ne nostris sibi
Dis destruendis luserit.
Tibi ergo soli, contumax,
Tarpeia calcentur sacra? (1)
Tu porro solus obteras
Romam, Senatum, Caesarem?
Vinctum, retortis brachiis,
Sursum ac deorsum extendite, (2)
Compago donec ossuum
Divulsa membratim crepet.

(1) *Tarpeia sacra.* Per synecd. tarpeia sacra pro omnibus Romanor. sacris; namque Lactant. Capitolium appellavit « summum caput religionum publicarum. » *De Falsa Relig.* c. I.

(2) *sursum ac deorsum extendite.* In equuleo, qui fuit genus tormenti, scilicet lignea machina in formam equi compacta; nobis « *un cavalletto* », in qua distensi torquerentur ii, de quibus alicuius criminis quaestio haberetur. V. Baron. in Martyr. ad XI cal. Febr.; et Gallon. *De Martyr. Cruciat.* c. IV.

Posthinc hiulcis ictibus (1)
Nudate costarum abdita,
Ut per lacunas vulnerum
Iecur retectum palpitet. » —
Ridebat haec miles Dei,
Manus cruentas increpans,
Quod fixa non profundius
Intraret artus ungula.
Ac iam omne robur fortium
Eviscerando cesserat,
Nisusque anhelus solverat
Fessos lacertorum toros.
Ast ille tanto laetior,
Omni vacantem nubilo
Frontem serenam luminat,
Te, Christe, praesentem videns.
« — Quis vultus iste, pro pudor!
Datianus aiebat furens:
Gaudet, renidet, provocat,
Tortore tortus acrior.
Nîl illa vis exercita
Tot noxiorum mortibus
Agone in isto proficit,
Ars et dolorum vincitur.
Sed vos, alumni carceris, (2)
Par semper invictum mihi,
Cohibete paullum dexteras,
Respiret ut lassus vigor.
Praesicca rursus ulcera,
Dum se cicatrix colligit
Refrigerati sanguinis,
Manus resulcans diruet. » —

(1) *hiulcis ictibus.* Ungulas tangit, de quibus in hymno I. in SS. Emeter. et Chelid. v. 44.

(2) *alumni carceris.* Carnifices.

His contra Levites refert : —
« Si iam tuorum perspicis
Languere virtutem canum,
Age ipse, maior carnifex.
Ostende, quo pacto queant
Imos recessus scindere,
Manus et ipse intersere,
Rivosque ferventes (1) bibe. » —
Erras, cruente, si meam
Te rere poenam sumere, (2)
Quum membra morti obnoxia
Dilancinata interficis.
Est alter (3) est intrinsecus,
Violare quem nullus potest :
Liber, quietus, integer,
Exsors dolorum tristium.
Hoc, quod laboras perdere
Tantis furoris viribus,
Vas est solutum ac fictile, (4)
Quocumque frangendum modo.
Quin immo nunc enitere
Illum secare ac plectere,
Qui perstat intus, qui tuam
Calcat, tyranne, insaniam.
Hunc, hunc lacesse ; hunc discute
Invictum, inexsûprabilem, (5)
Nullis procellis subditum,
Solique subiectum Deo. » —

(1) *rivos ferventes*. Tepentes sanguinis vivi.

(2) *meam... poenam sumere*. Poenam de me sumere, aliquo me malo afficere.

(3) *alter*, scil. homo, non cuius cernimus oculos, vultum, corpus, sed interior homo, de quo S. PAVL. II *Corinth*. 4.

(4) *vas fictile*, corpus. V. S. PAVL, *Corinth*. IV, 7.

(5) *inexsuprabilem* pro inexuperabilem, durior vocis contra-

Haec fatur, et stridentibus
Laniatur uncis denuo. (1)
Cui praetor ore subdolo
Anguina verba exsibilat: —
« Si tanta callum pectoris
Praedurat obstinatio,
Pulvinar (2) ut nostrum manu
Abomineris tangere,
Saltem latentes paginas, (3)
Librosque opertos detege,
Quo secta pravum seminans
Iustis cremetur ignibus. » —
His martyr auditis, ait: —
« Quem tu, maligne, mysticis
Minitaris ignem litteris,
Flagrabis ipse hoc iustius.
Romphaea nam caelestium (4)
Vindex erit voluminum,
Tanti veneni interpretem
Linguam perurens fulmine.

ctio prudentiana. Heins. hanc retinuit lect.; reliqui omnes *insuperabilem*, aut *inexpugnabilem* recipiunt.

(1) *uncis*. Cellarivs uncos cum ungulis confundit; sed differunt tum forma, quum ratione nocendi. V. supra hymn. I, v. 44.

(2) *pulvinar*. Erant in templis pulvinaria, seu lectuli ex pluma aut tomento facti, qui diis sternerentur, quoties decreta esset supplicatio (lectisternium); iisque simulacra deorum imponebantur, cibis appositis.

(3) *saltem latentes paginas*. In Christianorum atroci oppugnatione, qua Diocleslanus et Maximiànus neronianam saevitiem superarunt, cautum fuerat, uti Sacra Volumina cremarentur; qui vero ob metum edicto Caesarum paruerunt, *traditores* in Africa vocati sunt.

(4) *romphea*, vel *rhomphaea*, idem est ac framea Tracum, de qua V. Avl. Gell. X, 25. Sunt qui putent non iam esse hastae genus, cuius ferrum ligno aequale sit, sed gladium ancipitem, quem nos diceremus more nostro *una spada a due tagli*. V. Isid. XVIII *Orig*. 6. Traslate hic noster, pro eo quod est, Deus vindex.

Vides favillas indices (1)
Gomorrheorum criminum:
Sodomita nec latet cinis,
Testis perennis funeris.
Exemplar hoc, serpens, tuum est: (2)
Fuligo quem mox sulphuris,
Bitumen et mixtum pice,
Imo implicabunt tartaro. » —
His persecutor saucius
Pallet, rubescit, aestuat,
Insana torquens lumina,
Spumasque frendens egerit.
Tum deinde cunctatus diu,
Decernit extrema omnium:
Igni, grabato, et laminis (3)
Exerceatur quaestio.
Haec ille se se ad munera
Gradu citato proripit,
Ipsosque pernox gaudio,
Poenae ministros praevenit.
Ventum ad palaestram gloriae:
Spes certat et crudelitas;
Luctamen anceps conserunt
Hinc martyr, illinc carnifex.
Serrata lectum regula
Dente frequenti exasperat,
Cui multa carbonum strues
Vivum vaporat halitum. (4)

(1) *vides favillas.* Exemplo Sodomae et Gomorrhae Datianum deterrere conatur.

(2) *serpens.* Vidimus iam v. 176 « anguina verba exsibilas. »

(3) *grabato.* κράβατος est lectus exiguus et humilis. Vox fuit translata ad denotandum lectum ferale ad reos excruciandos. GALLONVS ait alium esse a crate, seu craticula. V. *De Martyr. Cruciat.* p. 322.

(4) *vivum halitum.* Vaporem igneum.

Hunc sponte conscendit rogum
Vir sanctus ore interrito,
Ceu iam coronae conscius
Celsum tribunal scanderet.
Subter crepante adspergine
Scintillat excussus salis, (1)
Punctisque fervens stridulis
Sparsim per artus figitur.
Arvina posthinc igneum (2)
Impressa cauterem lavit:
Vis unde roris fumidi
In membra sensim liquitur.
Haec inter immotus manet,
Tamquam dolorum nescius,
Tenditque in altum lumina;
Nam vincla palmas presserant.
Sublatus inde fortior
Lugubre in antrum truditur,
Ne liber usus luminis
Animaret altum spiritum.
Est intus imo ergastulo
Locus tenebris nigrior,
Quem saxa mersi fornicis (3)
Angusta clausum strangulant.

(1) *excussus salis.* Ictus, crepitus salis. GISELINVS, et edit. Amstelodamens. (an. M.DC.XXXI publ.) reponunt: *excussus cinis.*

(2) *Arvina cauterem lavit.* Glossator unius Vaticani, cauterem ipsum lectum ferreum arvina ignis calore liquefacta perfusum ait intelligendum esse. Contra ea CELLARIVS locum ita enarrat: « Pinguedo, si qua in corpore martyris superfuit, cautere ferreo impressa et perforata lavit, id est tinguit, idem ultionis instrumentum, quod cauterium vocant, graece καυτήρ. » Praetulerim glossatoris Vaticani interpretationem.

(3) *mersi fornicis.* In *Actis Martyr.* istiusmodi fornix ita strictim depingitur: « Quaerite... locum tenebrosum et oppressum urgente tectura ab omni publica luce sepositum, perpetua nocte damnatum. »

Aeterna nox illic latet
Expers diurni sideris:
Hic carcer horrendus suos
Habere fertur inferos.
In hoc barathrum coniicit
Truculentus hostis martyrem:
Lignoque plantas inserit (1)
Divaricatis cruribus.
Quin addit et poenam novam
Crucis peritus artifex, (2)
Nulli tyranno cognitam,
Nec fando compertam retro.
Fragmenta testarum iubet
Hirta, impolitis angulis,
Acuminata, informia,
Tergo iacentis sternerent. (3)
Totum cubile spiculis
Armant dolores anxii,
Insomne qui subter latus
Mucrone pulsent obvio.
Haec ille versutus vafra
Meditatus arte struxerat:
Sed Belzebulis callida
Commenta Christus destruit.

(1) *lignoque plantas inserit.* Quid nam sit lignum istiusmodi, quo plantae pedis constringerentur, nos docet VALESIVS in Adnot. ad Histor. Eusebii L. V, c. 1: « Truncus ligneus quinis hinc et inde foraminibus certo invicem spatio divisis excavatus, in quae foramina, tamquam in ocreas quasdam pedes inserebantur noxiorum, et vinculis, seu nervis adstringebantur. » De tali exquisito cruciamenti genere vide sis HOLSTENIVM in Adnotat. ad ea, quae SS. Perpetua et Felicitas pro Christi doctrina passae sunt.

(2) *Crucis peritus artifex.* Crux tiasl. de omni tormento, et pernicie.

(3) *sternerent.* Codd. et editiones pleraeque. In uno aut altero codice WEITZIVS et RVINARTIVS legerunt *sternere;* HEINSIVS ex coniectura *sternier.*

Nam carceralis caecitas
Splendore lucis fulgurat,
Duplexque morsus stipitis (1)
Ruptis cavernis dissilit.
Agnoscit hîc VINCENTIVS
Adesse, quod speraverat,
Tanti laboris praemium,
Christum datorem luminis.
Cernit deinde fragmina
Iam testularum mollibus
Vestire semet floribus,
Redolente nectar carcere.
Quin et frequentes angeli
Stant, ac loquuntur comminus,
Quorum unus ore augustior
Compellat his dictis virum: —
« Exsurge, martyr inclite,
Exsurge securus tui:
Exsurge, et almis caetibus
Noster sodalis addere.
Decursa iam satis tibi
Poenae minacis munia,
Pulchroque mortis exitu
Omnis peracta est passio.
O miles invictissime,
Fortissimorum fortior, (2)
Iam te ipsa saeva et aspera
Tormenta victorem tremunt.
Spectator haec Christus Deus
Compensat aevo intermino,
Propriaeque collegam Crucis
Larga coronat dextera.

(1) *stipitis:* ligno de quo modo diximus.
(2) *fortissimorum fortior.* Longe omnium fortissimus.

Pone hoc caducum vasculum
Compage textum terrea,
Quod dissipatum solvitur;
Et liber in caelum veni. » —
Haec ille. Sed clausas fores
Interna rumpunt lumina, (1)
Tenuisque per rimas nitor
Lucis latentis proditur.
Hoc quum stuperet territus
Obsessor atri liminis,
Quem cura pernox manserat
Servare feralem domum,
Psallentis audit insuper
Praedulce carmen martyris,
Cui vocis instar aemulae
Conclave reddit concavum.
Pavens deinde introspicit,
Admota quantum postibus
Acies per artas cardinum
Intrare iuncturas potest.
Vernare multis floribus
Stramenta testarum videt,
Ipsumque vulsis nexibus
Obambulantem pangere.
Implentur aures turbidi
Praetoris hoc miraculo:
Flet victus, et volvit gemens
Iram, dolorem, dedecus.
— « Exemptus, inquit, carceri,
Paullum benignis fotibus
Recreetur, ut pastum novum
Poenis refectus praebeat. » —

(1) *Interna rumpunt lumina.* Per clausas fores lumen internum erumpit

Coïre toto ex oppido
Turbam fidelem cerneres,
Mollire praefultum torum,
Siccare cruda vulnera.

Ille ungularum duplices
Sulcos pererrat osculis; (1)
Hic purpurantem corporis
Gaudet cruorem lambere.

Plerique vestem linteam
Stillante tinguunt sanguine,
Tutamen ut sacrum suis
Domi reservent posteris.

Tunc ipse manceps carceris, (2)
Et vinculorum ianitor,
Ut fert vetustas conscia,
Repente Christum credidit.

Hic obseratis vectibus
Densae specum caliginis
Splendore lucis advenae
Micuisse clausum viderat.

At vero postquam lectuli
Martyr quietem contigit;
Aeger morarum taedio,
Et mortis incensus siti:

Si mors habenda eiusmodi est,
Quae corporali ergastulo
Mentem resolvit liberam,
Et reddit auctori Deo:

(1) *sulcos pererrat osculis:* cicatrices, quibus corpus peraratur, exosculatur.

(2) *manceps carceris.* Carcerarius, seu praefectus carceris.

Mentem piatam sanguine,
Mortis lavacris elutam, (1)
Quae semet ac vitam suam
Christo immolandam praebuit.
Ergo, ut recline mollibus
Reiecit aulaeis caput,
Victor, relictis artubus,
Caelum capessit spiritus:
Cui recta celso tramite,
Reseratur ad Patrem via,
Quam fratre caesus impio
Abel beatus scanderat.
Stipant euntem candidi
Hinc inde sanctorum chori,
Parique missum carcere (2)
Baptista Ioannes vocat.
At Christiani nominis
Hostem coquebant irrita
Fellis venena, et lividum
Cor efferata exusserant.
Saevire inermem crederes
Fractis draconem dentibus:
— « Evasit, exsultans (3), ait,
Rebellis, et palmam tulit?
Sed restat illud ultimum
Inferre poenam mortuo,
Feris cadaver tradere;
Canibusve carpendum dare.

(1) *mortis lavacris elutam*. Ita plures codd. mss., quos sequuntur Heins. et Rvinart., etsi secunda vocis syllaba producta sit. Duo codd. *erutam* habent, cui favit Weitzivs. Vulgo *inclitam*, quae lect. ab Aldo videtur orta. Unus Vatic. minime spernendus *erutam* ostendit, ibique ad verbum illud *lavacris* manu posteriori supra scriptum legitur *periclis*.
(2) *missum carcere*, mss. In vett. editt. *missus* (!)
(3) *exsultans*. proprie intellige.

Iam nunc et ossa exstinxero,
Ne sit sepulcrum funeris,
Quod plebs gregalis excolat, (1)
Titulumque fingat martyris. » —
Sic frendit, et corpus sacrum
Profanus (ah dirum nefas!)
Nudum, negato tegmine,
Exponit inter carices.
Sed nulla dirarum fames
Aut bestiarum aut alitum
Audet tropaeum gloriae
Foedare tactu squalido.
Quin, si qua clangens improbe
Circumvolarat eminus,
Trucis volucris impetu (2)
Depulsa vertebat fugam.
Nam corvus, Heliae datus
Olim ciborum portitor, (3)
Hoc munus implet sedulo,
Et inremotus excubat.
Hic ex frutetis proximis
Infestus alarum sono,
Oculosque pennis verberans
Exegit immanem lupum.
Quis perfidorum credere
Ausit, rapacem belluam,
Tauris paratam congredi,
Cessisse plumis mollibus?

(1) *gregalis*, eiusdem gregis; de plebe Christiani nominis.

(2) *trucis volucris,* videlicet corvi, illius persimilis, qui Heliae datus est. V. *Reg.* L. III.

(3) *portitor*. Qui portorium exigit a viatoribus pro transitu mercium aut hominum ex uno in alium locum: est etiam portitor, uti in hoc loco, qui portat, baiulus, gerulus.

Ibat malignum murmurans, (1)
Levi volatu exterritus;
Praedamque visam fugerat
Custodis imbellis minis.
Quis audienti talia,
Datiane, tunc sensus tibi?
Quantis gementem spiculis
Figebat occultus dolor?
Quum te perempti corporis
Virtute victum cerneres,
Ipsis et impar ossibus,
Vacuisque iam membris minor?
Sed quis, tyranne pertinax,
Hunc impotentem spiritum (2)
Determinabit exitus?
Nullus ne te franget modus? » —
« — Nullus; nec umquam desinam; (3)
Nam, si ferina immanitas
Mansuescit, et clementia
Corvos voraces mitigat,
Mergam cadaver fluctibus:
Insana numquam naufragis
Ignoscit unda, et spumeum
Nescit profundum parcere.
Aut semper illic mobilis
Incerta per ludibria
Vagis feretur flatibus (4),
Squamosa pascens agmina;

(1) *malignum*, adverbial. pro maligne.

(2) *impotentem*, non potentem, debilem.

(3) *nullus*. Daciani haec sunt verba, cuius iecur bilis urebat.

(4) *Vagis feretur flatibus*. Complures codd. apud Heins. — Rvinart., aliique *fluctibus*. Giselin. et multae editt. *austris feretur flatibus*, aut *flantibus*.

Aut sub fragosis rupibus
Scabri petrarum murices (1)
Inter recessus scrupeos
Discissa rumpent viscera.
Ecquis virorum, strenue
Cumbam peritus pellere, (2)
Remo, rudente, et carbaso,
Secare qui pontum queas,
Rapias palustri e cespite
Corpus, quod intactum iacet;
Levique vectum lembulo
Amplum per aequor auferas.
Sed complicatum sparteus (3)
Claudat cadaver culleus,
Quem fune connexus lapis
Praeceps in altum deprimat.
At tu per undas emices,
Rorante praepes palmula,
Donec relictum longior
Abscondat adspectus solum. » —
Haec iussa quidam militum,
(Eumorphio nomen fuit)
Violentus, audax, barbarus,
Furore fervens arripit.

(1) *murices.* Transl. aspera saxa et praeacuta. V. Virg. *Aen.* V, 205.; Sil. Ital. XVII, 277.

(2) *Cumbam.* Cumba est pars navis ima, ita dicta, quod aquis incumbat: inde navis parvula, cui *lembo* et per syneed. *scalmo* nomen damus. *Cumba* autem pro cymba, mutata *y* in *u* ex veterum, eoque latino more. qui lacruma, cumatilis, Sulla scriberent pro lacryma, cymatilis, etc. Cfr. M'nerv. Sanctii L. IV, c. 16.

(3) *sparteus... culleus.* Vas ex iunco spartoque contextum ad modum cullei, quem noster etiam funale textum vocat infra, v. 469.

Funale textum conserit,
Suto quod implet corpore,
Emensus et multum freti,
Inter procellas excutit.

O praepotens virtus Dei!
Virtus creatrix omnium!
Quae turgidum quondam mare
Gradiente Christo straverat,

Ut terga (1) calcans aequoris
Siccis mearet passibus,
Plantas nec undis tingueret
Vasti viator gurgitis.

Haec ipsa virtus iusserat
Rubrum salum dehiscere,
Patente dum fundo aridum
Secura plebs iter legit. (2)

Nec non et ipsa nunc iubet
Servire sancto corpori
Pontum, quietis lapsibus
Ad curva pronum litora.

Saxum molaris ponderis,
Ut spuma candens, innatat;
Tantique custos pignoris
Fiscella fertur fluctibus.

Cernunt stupentes navitae
Vectam remenso marmore (3),
Labi retrorsum leniter,
Aestu secundo et flamine.

(1) *terga aequoris.* — V. hymn. VII, 47.

(2) *iter legit.* HEINS. et THVAN.; — tres Vatic. *gerit;* alii *terit.*

(3 *vectam remenso marmore.* V. VIRG. *Aen.* II, 181.

Certant et ipsi concito
Pontum phaselo scindere:
Longe sed artus praevolant (1)
Telluris ad mollem sinum.
Prius relatos denique
Humus quieta suscipit,
Quam pulsa summis nisibus
Carina portum tangeret.
Felix amoeni litoris
Secessus ille, qui sacra
Fovens arenis viscera
Vicem sepulcri praebuit?
Dum cura sanctorum pia
Deflens adornat aggerem;
Tumuloque corpus creditum
Vitae reservat posterae.
Sed mox, subactis hostibus, (2)
Iam pace iustis reddita,
Altar quietem debitam
Praestat beatis ossibus.
Subiecta nam sacrario,
Imamque ad aram condita,
Caelestis auram muneris (3)
Perfusa subtus hauriunt.

(1) *artus praevolant.* Martyris corpus ante litus pertingit, quam nautae portum sint consequuti.

(2) *sed mox, subactis hostibus.* Romanis legibus cautum erat, ne cadavera in urbe humarentur. Sed ubi in Christianos bellum resedit, sepulcra intra urbem martyribus data sunt; vel eorum relliquiae, in urbem conlatae, sub altaribus sunt conditae per honorem. Qui honos ossa sanctorum virorum contegendi in universum patuit; sive martyrio vitam finissent, sive sanctissime decessissent. V. Baron. in Adnotationibus ad Martyrol. pridie nonas Iul.

(3) *caelestis muneris.* Cellarivs, et quotquot a catholica doctrina quadantenus recedunt, Dei tantum providentia factum

Sic corpus; ast ipsum Dei
Sedes receptum continet,
Cum Macchabaeis fratribus, (1)
Sectoque Esaiae proximum. (2)

Simplex sed illis contigit
Corona poenarum, quibus
Finem malorum praestitit
Mortis supremus exitus.

Quid tale sector ausus est? (3)
Truncata numquid corporis
Segmenta post serram feris
Obiecit, aut undis dedit?

Nunc Macchabaei martyris
Linguam tyrannus erutam,
Raptamve pellem verticis
Avibus cruentis obtulit?

Tu solus, o bis inclite, (4)
Solus brabei duplicis (5)
Palmam tulisti: tu duas
Simul parasti laureas.

esse putant, ut martyrum ossa temporis et hominum iniuriam evaserint. Sed tamen nos aliquid maius sibi voluisse hic existimamus poëtam religiosissimum; eaque verba « caelestis auram muneris » esse referenda ad corpus Eucharisticum D. N. Iesu Christi altaribus impositum, quibus martyrum relliquiae penitus protectae, quodammodo vivificarentur. V. Περὶ Στεφ. S. Eulaliae hymn. sub finem, et ibi carmen S. Hyppol., v. 171.

(1) *cum Macchabaeis fratribus.* De quibus Vide *Macchabaeorum*, II, c. 7.

(2) *Esaiae secto.* Ex constanti Iudaeorum Christianorumque traditione Esaias in duas partes serra lignea fuit divisus; et puto S. Apostolum *ad Haebreos*, xI, 37, huc respexisse, quum ait *fide quosdam sectos fuisse.*

(3) *sector.* Qui Esaiam medium secuit.

(4) *bis inclite.* Tum ob saevitiem corpori suo illatam, quum ob asperrimam mortem.

(5) *brabei.* Brabeum, βραβεῖον, victoriae praemium, quo is praecipue munerebatur in ludis publicis, qui caeteros praestaret.

In morte victor aspera,
Tum deinde post mortem pari
Victor triumpho proteris
Solo latronem corpore. (1)
Adesto nunc, et percipe,
Voces precantum supplices,
Nostri reatus efficax
Orator ad thronum Patris.
Per te, per illum carcerem,
Honoris augmentum tui;
Per vincla, flammas, ungulas,
Per carceralem stipitem; (2)
Per fragmen illud testeum,
Quo parta crevit gloria,
Per, quem trementes posteri (3)
Exosculamur, lectulum,
Miserere nostrarum precum,
Placatus ut Christus suis
Inclinet aurem prosperam,
Noxas nec omnes imputet.
Si rite solemnem diem
Veneramur ore et pectore;
Si sub tuorum gaudio
Vestigiorum sternimur,
Paullisper huc illabere,
Christi favorem deferens;

Inde nos Itali, nisi probe erro, fecimus *bravo*. — Vaticc. mss. habent *bravii*.

(1) *latronem*. Latro hic est vel Dacianus, vel eius κακοδαίμων, quo instinctus ad probra quaeque perpetranda impelleretur.

(2) *per carceralem stipitem:* per lignum et nervum de quibus supra.

(3) *per quem*. Ita Heinsivs ex cod. Oxonis., qui Weitzivm culpat, quod descripserit *et quem;* quae tamen varia lectio legitur et in quattuor Vaticc.

Sensus gravati ut sentiant
Levamen indulgentiae.
Sic nulla iam restet mora,
Quin excitatam nobilis
Carnem resumat spiritus,
Virtute perfunctam pari.
Ut, quae laborum particeps
Commune discrimen tulit,
Sit et cohaeres gloriae
Cunctis in aevum saeculis.

VI

IN HONOREM MARTYRVM FRVCTVOSI EPISCOPI TARRACONENSIS, ET AVGVRII, ET EVLOGII DIACONORVM

Hymnus hic sextus nobis cruciatus narrat Fructuosi pontificis Tarraconensium, et Augurii Eulogiique diaconorum; qui in carcerem primum inclusi, deinde flammis obiecti sunt. Postquam vincula, quibus obligarentur ignis consumpsit, fortissimi viri, manibus in crucis morem ad coelum sublatis, martyres beatissimi ad coelestes evolarunt.

Felix Tarraco, Frvctvose, vestris
Attolit caput ignibus coruscum, (1)
Levitis geminis procul relucens.
Hispanos Deus adspicit benignus,
Arcem quandoquidem potens Hiberam (2)
Trino martyre Trinitas coronat.
Ardens Avgvrivs capessit aethram,
Nec non Evlogivs simul superbum (3)
Christi lucidus ad sedile tendit.

(1) *Vestris... Ignibus.* Igne combusti perierunt.

(2) *arcem Hiberam.* Tarraco Hispaniae urbs ad Subin fl.: fuitque Romanor. colonia, caput Provinciae Citerioris.

(3) *superbum... Sedile.* Naticc. omnes, uno excepto. — Quaedam editt. *supernum* cum Gisclíniana.

Dux et praevius et magister illis
Ad tantum decus, ex episcopali
Clarus nomine FRVCTVOSVS ibat.
Accitus quia praesidis repente
Iussu venerat ad forum sacerdos
Levitis comitantibus duobus.
Inde ad carceream viros catenam
Pastus sanguine carnifex trahebat:
Gaudet currere FRVCTVOSVS ultro,
Ac, ne quis socios timor feriret,
Praeceptor vehemens eundo firmat,
Inceditque fidem calore Christi.
— « Mecum state, viri: vocat cruentus
Ad poenam coluber Dei ministros;
Ne mors terreat, est parata palma.
Carcer Christicolis gradus coronae est:
Carcer provehit ad superna caeli:
Carcer conciliat Deum beatis. » —
His dictis, adeunt specum reorum,
Exercent ibi mysticum lavacrum, (1)
Et purgamen aquae stupent tenebrae. (2)
Sex hic continuis latent diebus,
Tandem stant trucis ad tribunal hostis:
Fratres tergeminos tremunt catastae. (3)

(1) *mysticum lavacrum,* quod infra nominat *purgamen aquae,* est Fons salutaris lavacri, quem nos dicimus *il Fonte del Santo Battesimo.*

(2) *purgamen aquae.* Vaticc. quattuor, et HEINSIANI probatiores; GISELIN. et WEITZIVS *purgamina quae.*

(3) *fratres.* Hoc nomine se se invicem donabant Christiani propter communem doctrinam, quam profiterentur, et mutuam charitatem, qua essent coniuncti, tamquam unius Patris filii, et Redemptoris fratres.

Iudex Aemilianus imminebat (1)
Atrox, turbidus, insolens, profanus:
Aras daemonicas coli iubebat.
— « Tu, qui doctor, ait, seris novellum
Commenti genus, ut leves puellae
Lucos destituant, Iovem relinquant, (2)
Damnes, si sapias, anile dogma (3).
Iussum est Caesaris ore Gallieni,
Quod princeps colit, ut colamus omnes. » —
Haec fanti placidus refert sacerdos: —
« Aeternum colo principem, dierum
Factorem, dominumque Gallieni,
Et Christum Patre prosatum perenni,
Cuius sum famulus, gregisque pastor. » —
Subridens ait ille: « — iam fuisti. » —
Nec differt furor aut refrenat iram;
Saevis destinat ignibus cremandos.
Exsultant, prohibentque flere vulgum.
Quosdam de populo videt sacerdos
Libandum sibi poculum (4) offerentes: —
« Ieiunamus, ait; recuso potum.
Nondum nona diem resignat hora: (5)
Numquam conviolabo ius dicatum,
Nec mors ipsa meum sacrum resolvet.

(1) *Aemilianus,* qui, Valerio et Gallieno imperatoribus, Hispaniae praeesset.

(2) *lucos.* Locus arboribus consitus, non caeduus, et alicui deo sacer.

(3) *anile dogma,* per contemptum anilis Christianorum doctrina vocabatur, quam aniles foeminas dedeceret, ne dum viros litteris instructos. V. sub init. V, v. 26.

(4) *Libandum sibi poculum.* Vel antiquitus dare capitis damnatis aliquid bibere, ut mortem adeuntibus animus accederet, moris fuisse notum est.

(5) *nondum nona hora.* Qui extra ieiunium quadragena-

Sic Christus sitiens crucis sub hora
Oblatum sibi poculum recusans,
Nec libare volens, sitim peregit. » —
Intrant interea locum rotunda (1)
Conclusum cavea, madens ferarum
Multo sanguine, quem furor frequentat,
Quum spectacula perstrepunt cruenta,
Ac vilis gladiator ense duro
Percussus cadit, et fremit voluptas. (2)
Hic flammante pyra, niger minister,
Ardens supplicium parare iussus,
Construxit facibus rogum supremis.
Qui, dum corpora concremata solvit,
Ferventes animas amore lucis
Fracto carceris expediret antro. (3)
Certant officiis pii sodales:
Plantis calceamenta dissolutis
Pronus detrahere studebat unus. (4)
Sed sanctus vetat ora FRVCTVOSVS
Inclinata premi: — « Facessite, inquit, (5)
Ne nostram gravet obsequela mortem.

rium se cibo temperarent, ab hora nona vesci licebat. Cfr. LVDOVIC. THOMASSINVM Tractat. *De Ieiuniis*, P. I, C. XIX, et P. II, C. XV; Card. BONAM, *De divina Psalmod.*, C. 3.

(1) *locum rotunda Conclusum cavea.* Amphiteatrum, quo martyres feris laucinandi proponebantur.

(2) *fremit voluptas.* Summam voluptatem oculis romani hauriebant e gladiatorum spectaculis, praesertim vero e ludis bestiariis, ubi Christiani pantheris leonibusque devorandi essent.

(3) *Carceris antro expediret:* e corporis vinculis exsolveret.

(4) *unus.* Hunc fuisse Augustalem, unum quempiam de Lectoribus, ex *Actis Martyr.* comparet.

(5) *Ora inclinata premi:* vetat eum officii obsequiique causa corpus inclinare.

At quin ipse meos pedes resolvam,
Ne vestigia praepedita vinclis (1)
Tardis gressibus irruant in ignem.
Cur lamenta rigant genas madentes?
Cur vestri memor ut fiam rogatis? (2)
Cunctis pro populis rogabo Christum. » —
Vix haec ediderat, relaxat ipse
Indumenta pedum: velut Moyses (3)
Quondam fecerat ad rubum propinquans.
Non calcare sacram cremationem, (4)
Aut adstare Deo prius licebat,
Quam vestigia pura figerentur.
Stabat calce mera; resultat ecce (5)
Caelo spiritus, et serit loquelam, (6)
Quae cunctos tremefecit audientes.
— « Non est, credite, poena, quam videtis,
Quae puncto tenui citata transit;
Nec vitam rapit illa, sed reformat.
Felices animae, quibus per ignem
Celsa scandere contigit Tonantis;
Quas olim fugiet perennis ignis. » —

(1) *vinclis*, scil. calceis, quibus perinde pedes vinciuntur.

(2) *ut fiam*. Ita mss. codd. Sed Aldvs metri causa correxit *ut siem*, improbante Giselino. Quid quid sit, longe a veritate aberrat Cellarivs, dum contendit, aevo Prudentiano nondum ad patrocinium animarum defunctorum confugere solitos esse Christianos. Quovis enim tempore docet Bellarminvs, christianam doctrinam sequutos, sanctorum defunctorum suffragia poscere non aufugisse.

(3) *velut Moïses*. *Moïses* tres syllabas continet, ut apud Sedvllivm, aliosque; tribusque syllabis constat in Exod. *Septuaginta Interpretum*, ubi distincte legitur: Μωϋσῆς (*Exod.* III, 2).

(4) *sacram cremationem*. Rubum respicit mosaicum, nisi forte velis ignem hic intelligi, quo martyres essent cremandi.

(5) *stabat calce mera*, nudis pedibus.

(6) *Spiritus*: Dei nuntius, angelus.

Haec inter, rapidis focos crepantes
Intrant passibus, et minantur ipsis (1)
Flammarum trepidantibus caminis.
Nexus denique, qui manus retrorsum
In tergum revocaverant revinctas,
Intacta cute decidunt adusti.
Non ausa est cohibere poena palmas,
In morem Crucis ad Patrem levandas: (2)
Solvit brachia, quae Deum precentur.
Priscorum specimen trium putares,
Quos olim Babylonicum per ignem
Cantantes stupuit tremens tyrannus.
Illis sed pia flamma tum pepercit,
Nondum tempore passionis apto,
Nec mortis decus inchoante Christo.
Hos quum defugeret vaporus ardor, (3)
Orant, ut celer ignis advolaret,
Et finem daret anxiis perîclis.
Exorata suos obire tandem
Maiestas famulos iubet, caducis
Missos corporibus, sibique reddi.
Vidit praesidis ex domo satelles (4)
Caelum martyribus patere apertum,
Insignesque viros per astra ferri.
Quin et filiolae monens herili
Ostendit sceleris notam paterni,
Caelo vívere, quos forum peremit.

(1) *minantur*. Ea erat martyrum confidentia, is animus, ut ipsis ignibus minitari viderentur.

(2) *in morem crucis levandos*. Hoc habitu adorare consueverunt olim Christiani. V. Bonarrotivm in *Vitris Coemeterialibus*, pag. 112; Bosivm et Aringhivm, *Romae Subterraneae* scriptores.

(3) *Vaporus ardor*. Ardor vaporifer, calidus, ardens. Epithet. *vaporus* occurrit in Nemes. *Eclog*. IV, 63.

(4) *ex domo satelles*. Servus unus praesidis Aemiliani.

Haec tum virginitas palam videre
Per sudum meruit, parente caeco. (1)
Ut crimen domini domus timeret.
Tum de corporibus sacris favillae,
Et perfusa mero leguntur ossa, (2)
Quae raptim sibi quisque vindicabat.
Fratrum tantus amor, domum referre
Sanctorum cinerum dicata dona,
Aut gestare sinu fidele pignus.
Sed ne relliquias resuscitandas,
Et mox cum Domino simul futuras,
Discretis loca dividant sepulcris,
Cernuntur niveis stolis amicti,
Mandant restitui, cavoque claudi
Mixtim marmore pulverem sacrandum.
O triplex honor, o triforme culmen,
Quo nostrae caput excitatur urbis, (3)
Cunctis urbibus eminens Hiberis,
Exsultare tribus libet patronis,
Quorum praesidio fovemur omnes
Terrarum populi Pyrenearum.
Circumstet chorus ex utroque sexu,
Heros, virgo, puer, senex, anulla: (4)
Vestrum psallite rite FRVCTVOSVM.

(1) *parente caeco.* WEITZII aliorumque editt. *parente caelo.* Sed nostram quisque praetulerit lect., si animadvertat, a servo et filia ipsa Aemilianum patrem ut in caelum oculos attolleret rogatum, nihil omnino vidisse.

(2) *perfusa mero... ossa.* Crematorum ossa vel temporibus heroicis vino unguentisque lavari solita videmus apud HOMER. *Odyss.* XXIV, 72; VIRG. *Aen.* VI, 227; et TIBVLL. III *Eleg.* II, 19. Christiani id moris retinuere in colligendis martyrum relliquiis. V. RVINARTII, *Acta.*

(3) *nostrae.... urbis.* Nostram vocat Tarraconem, quod nobilis Hispaniae urbs esset, non quod ibi ortum duxerit poëta.

(4) *anulla,* anicula, ab anu. Nos *vecchierella*, *vecchietta.* CELLARIVS, et WEITZIVS descripserunt *anicla.*

Laudans AVGVRIVM resultet hymnus,
Mixtis EVLOGIVM modis coaequans,
Reddamus paribus pares camoenas. (1)
Hinc aurata sonent in arce tecta,
Blandum litoris extet inde murmur,
Et carmen freta feriata (2) pangant.
Olim tempus erit, ruente mundo,
Quum te, Tarraco, FRVCTVOSVS acri
Solvet supplicio, tegens ab igni (3).
Fors dignabitur et meis medelam
Tormentis dare, prosperante Christo,
Dulces hendecasyllabos revolvens.

VII

IN HONOREM QVIRINI MARTYRIS

EPISCOPI ECCLESIAE SISCIANAE

Quae hic noster carmine glyconio tradit de Quirini martyrio, Eusebius paucis exponit in suo *Chronico* ad hunc modum: « Quirinus, episcopus siscianus, pro Christo gloriose interficitur. Nam manuali mola ad collum ligata, e ponte precipitatus in fluvium diutissime supernatavit; et cum spectantibus collocutus, ne suo terrerentur exemplo, vix orans ut mergeretur, obtinuit. »

Insignem meriti virum
QVIRINVM, placitum Deo,
Urbis moenia Sisciae
Concessum sibi martyrem
Complexu patrio fovent.

(1) *camoenas.* A canendo camoena, seu musa; et metonymice pro carminibus.

(2) *freta feriata:* tranquilla et laeta, tamquam festum diem agentia.

(3) *tegens ab igni.* Te in supremo die iudicii ab igne inferorum prohibens, dum mente revolvit hendecasyllabos, quos nunc ipse illi pie fundo.

Hic sub Galerio duce,
  Qui tunc Illyricos sinus
  Urgebat ditionibus,
  Fertur catholicam fidem
  Inlustrasse per exitum.
Non illum gladii rigor,
  Non incendia, non ferae
  Crudeli interitu necant,
  Sed lymphis fluvialibus
  Gurges, dum rapit, abluit.
Nil refert, vitreo aequore (1),
  An de flumine sanguinis
  Tinguat passio martyrem:
  Aeque gloria provenit
  Fluctu quolibet uvida (2).
Summo pontis ab ardui
  Sanctae plebis episcopus
  In praeceps fluvio datur,
  Suspensum laqueo gerens
  Ingentis lapidem molae.
Deiectum placidissimo
  Amnis vertice suscipit,
  Nec mergi patitur sibi,
  Miris vasta natatibus
  Saxi pondera sustinens.
Suspectant eminus e solo
  Doctorem pavidi greges;
  Nam Christi populus frequens
  Riparum sinuamina
  Stipato agmine saepserat.

(1) *vitreo aequore.* Vitreum item pontum Venusinus poëta appellat *Lyricor.* IV, 2, 3, ad denotandum maris viridem, seu ceruleum et pellucidum colorem.

(2) *fluctu quolibet uvida.* In unius Vatic. glossa legimus: « sanguine an aqua humefacta ».

Sed QVIRINVS, ut eminens
Os circumtulit, heu! suo
Exemplo trepidos videt (1),
Nil ipse proprii memor
Inter stagna periculi.
Confirmat pia pectora,
Verbis mitificis rogans (2),
Ne quem talia terreant,
Neu constans titubet fides,
Aut poenam putet emori (3).
Dicentem fluitantibus
Amnis terga (4) vehunt vadis,
Nec substrata (5) profunditas
Saxoque et laqueo et viro
Audet sponte dehiscere.
Sensit martyr episcopus,
Iam partam sibi praeripi
Palmam mortis et exitus,
Adscensumque negarier (6)
Aeterni ad solium Patris.

(1) *suo Exemplo trepidos videt.* In Giseliniana edit. (Parisiis an. M.D.LXII) *suos Exemplo trepidos;* quae lectio eadem est in edit. Amstelodam. an. M.D.CXXXI.

(2) *mirificis verbis.* Ita codd. in vulgus editi. — quidam *mitificis;* et HEINS. ex mss., praesertim Ambrosiano, hanc retinuit, quae idem valet ac mitis, lenis; occurritque in *Sil. Ital.* XII, 474; in nostro Ἁμαρτ. 963; et *Diptyc.* XX, 1.

(3) *Aut poenam putet emori.* Etenim, uti monet S. AVGVST. *De Civit. Dei* XIII, 6: « Licet mors sit poena nascentis, tamen si pro pietate iustitiaque pendatur, fit gloria renascentis. »

(4) *amnis terga.* Amnis *Sibaris.* Aquae tergum, aut maris dorsum est superficies, quae naves sustinet ea plane ratione, qua in tergo iumenta onera ferunt. V. OVID. 1 *Pont.* 2, 82; CLAVD. *De Bello Get.* 338; LVCAN. IX, 341. Cfr. et Hymn. V, 484, Praef. Contra Symm. II, 48.

(5) *substrata profunditas,* fluminis profunditas subtus strata. et extensa.

(6) *negarier.* Παραγωγή.

— « Iesu cunctipotens, ait,
  Haudquaquam tibi gloria
  Haec est insolita, aut nova,
  Calcare (1) fremitum maris,
  Prona et flumina sistere.
Scimus discipulum Petrum,
  Quum vestigia tingueret
  Mortali trepidus pede,
  Dextrae subsidio tuae
  Subiecisse salum solo (2).
Iordanem quoque novimus
  Tortis vorticibus vagum (3),
  Dum fertur rapido impetu,
  Ad fontem refluis retro
  Confugisse meatibus.
Haec miracula sunt tuae
  Virtutis, Domine; ut modo
  Suspendor (4), leve praenatans
  Summo gurgite fluminis,
  Quum collo scopulum traham.

(1) *calcarē* ultima vocis est producta, ob duas sequentis vocis consonantes, idque Graecorum more. Sic TIBVL. in I, *Eleg.* V, 28: *pro segetē spicas*, ubi syllabam *te* correptam minime vides, quia vox sequens a duobus consonantibus incipit. De qua re V. BENTLEIVM, *Ad Hor. Lyric.* III, 19, pag. 137. Prudentius autem hanc licentiam abutitur. V. Καθημ. VII, 152; Ἀποθ. 833; Ψυχομ. 41, 455, et 481.

(2) *subiecisse salum solo.* In verborum sono ludit noster. Sensus est: mare stabile reddidisse *solo* plantae pedis.

(3) *Iordanem.... Tortis vorticibus vagum.* V. IOSVE, III. Propter innumeros vortices Iordanes instabilis est atque periculosus. Hoc sensu Amm. Marcellinus Druentiam: « flumen gurgitibus vagis intutum » vocat. V. *Rer. Gestar.* L. XV, 10.

(4) *ut modo suspendor*, etc. Sicuti alias in Petro et in Iordane fl. notam virtutem tuam fecisti, ita in me, Domine, modo; qui quamquam collo saxum immane traho, tamen in undis immersabilis enato.

Iam plenus titulus tui est,
Et vis prodita nominis,
Quam gentilis habet stupor (1):
Absolvas, precor, optime,
Huius nunc animae moras.

Quid possis, probat amnicus,
Qui vectat silicem, liquor;
Hoc iam quod superest, cedo,
Quo nîl est pretiosius
Pro te, Christe Deus, mori. » —

Orantem simul halitus
Et vox deserit et calor;
Scandit spiritus ardua:
Fit pondus grave saxeum,
Corpus suscipiunt aquae.

(1) *quam gentilis habet stupor*. Quam tamen virtutem falsis Diis dediti stupent. Lectio est in omnibus Heinsianis codd.; Weitzivs tamen ex uno Vatic. legit: *qua gentilis habet stupor*.

HYMNVS VIII

DE LOCO QVO MARTYRES PASSI ERANT

nvnc

* BAPTISTERIVM EST CALAGVRRI

Baptisterium Calagurritanum carmine elegiaco celebrat, quod eius Fontis salutaris aquae inscriptio quis possit dicere. Ibi Emeterius et Chelidonius martyrium fecerunt, de quibus laudes celebrat poëta in hymno huius libri primo.

Electus Christo locus est (1), ubi corda probata
Provehat ad caelum sanguine, purget aqua.
Hic duo purpureum, Domini pro nomine caesi,
Martyrium pulchra morte tulere viri (2).
Hic etiam liquido fluit indulgentia fonte,
Ac veteres maculas diluit amne novo (3).

(*) Baptisterium, βαπτιστήριον, quod romanis fuerat piscina, seu colymbus quidam, prope cellam balnei frigidariam ad natandum, primis christianis temporibus, nondum templis ad veri Dei cultum excitatis, locus excavatus ita vocabatur in privatis aedibus, in quo, qui christianam professionem vellent amplecti, abluerentur. Ubi pax Christiano nomini est allata, Baptisteria pro templorum foribus, vel etiam in ipsis sacris aedibus satis ampla sunt inaedificata. Cfr. Dv-Fresnivm, *Commentar. in Paulum Silent.* p. 593; et Iosephi Vicecomitis Librum *De Ritib. Baptis.* C. VII.

(1) *Locus.* Perperam Chamillardvs putat hic designari carcerem Mamertinum, quem, opportunitatem nactus, pluribus describit. Sed Heinsivs post vocem *Baptisterium*, ex codd. Oxonio et duobus Weitzii Egmondano et Widmanniano addit *Calagurri.*

(2) *Duo... Viri.* Scilicet Emeterius atque Chelidonius martyres, de quibus vide sis hymnum primum.

(3) *amne novo.* Fons erat proximo a Baptisterio Calagurritano, vel natura decurrens vel arte deductus, in quo Christianorum pueri Lavacro salutari abluerentur.

Qui cupit aeternum Caeli conscendere regnum,
Huc veniat sitiens: ecce parata via est.
Ante coronati scandebant ardua testes
Atria, nunc lotae celsa petunt animae.
Spiritus aetherio (1) solitus descendere lapsu,
Ut dederat palmam, sic tribuit veniam.
Haurit terra sacros aut fonte aut sanguine rores,
Exundatque suo iugiter uda (2) Deo.
Ipse loci est dominus, laterum cui vulnere utroque (3)
Hinc cruor effusus fluxit, et inde latex.
Ibitis hinc, ut quisque potest, per vulnera Christi,
Evectus gladiis alter, et alter aquis.

(1) *spiritus aetherio.* Codd. maioris momenti, et Heinsivs. In multis tamen codd. mss. atque editt. legimus *aeterno.*

(2) *uda Deo.* Chamillardvs hic adnotat: Hactenus lectum est *unda Deo.* At Heinsivs opponit: *inconcinnum vero omnino illud: exundat unda.*

(3) *vulnere utroque.* Displicet equidem nobis, qui tantum quinque plagas in Christo Iesu venerabundi exosculamur, corpus eius cernere utroque vulnere latus lancea laceratum. Sed tamen haud abs re fuerit animadvertere, vetustissimas picturas olim Redemptorem nobis repraesentare modo dextrum, modo sinistrum latus lanceae mucrone transfixum; et, uti notat Menochivs *Commentar. in Ioann.* C. XIX, 34, fieri potuisse, ut lancea per unum latus adacta, alterum quoque excederet.

HYMNVS IX

PASSIO CASSIANI

FOROCORNELIENSIS

Prudentius e domestico secessu Romam ab imperatore Honorio accitus, penes Forocornelienses diversatus est, uti S. Cassianum veneraretur, prosperumque iter impetraret. Prope sepulcrum sancti martyris in pariete picturam cernens, ab aedituo docetur, tormenta ibi repraesentari, quae a discipulis suis sanctus ludi magister perpessus est. Historiam verissimam nobis poëta, domum reversus, renarrat, laetatus quod tanti martyris auxilium senserit.

Sulla Forum statuit Cornelius: hoc Itali urbem (1)
Vocitant ab ipso conditoris nomine.
Hic mihi quum peterem te, rerum maxima Roma,
Spes est oborta prosperum Christum fore.
Stratus humi tumulo advolvebar, quem sacer ornat
Martyr, dicato CASSIANVS corpore.
Dum lacrimans mecum reputo mea vulnera (2), et omnes
Vitae labores, ac dolorum acumina,
Erexi ad caelum faciem (3), stetit obvia contra
Fucis colorum picta imago martyris,
Plagas mille gerens, totos lacerata per artus,
Ruptam minutis praeferens punctis cutem.

(1) *hoc Itali urbem Vocitant.* Hanc urbem in Gallia Cispadana, cui nomen nunc *Imolae* est, aiunt *Forum Cornelii* vocatam a dictatore L. Corn. Sylla, qui eam condidit.

(2) *vulnera* transl. scil. crimina, admissa.

(3) *ad coelum*, quum pronus tumulo advolutus adoraret, oculos in altum sustulit. Haec animadvertant Christianae sapientiae osores, qui negant ullas primis quingentis annis imagines Dei et Beator. Caelitum depictas in templis fuisse propositas.

Innumeri circum pueri, miserabile visu!
Confossa (1) parvis membra figebant stilis ; (2)
Unde, pugillares soliti percurrere ceras,
Scholare murmur adnotantes scripserant.
Aedituus consultus ait: — « quod prospicis, hospes,
Non est inanis aut anilis fabula.
Historiam pictura refert, quae tradita libris,
Veram vetusti temporis monstrat fidem.
Praefuerat studiis puerilibus, et grege multo
Saeptus, magister litterarum sederat :
Verba notis brevibus (3) comprêndere cuncta peritus,
Raptimque punctis dicta praepetibus sequi.
Aspera nonnumquam praecepta et tristia visa (4)
Impube vulgus moverant ira et metu.

(1) *confossa*. In nonnullis codd. *concessa*, quae lectio neutiquam improbaverim; pictura enim hominem referebat puerorum potestati commissum.

(2) *Stilis... Unde pugillares*. Peritus praeceptor quid graphium, quid pugillares et tabellae sint, quibus veteres in scribendo uterentur, probe suis auditoribus enucleabit. De his nos infra pauca exponemus.

(3) *notis brevibus*. Cassianus discipulos suos praesertim docebat non tantum litteris, sed etiam aliis signis figurisque excipere quam velocissime loquentium verba. Vocabant autem *notas* illa signa quae adhiberent, qui scribendi compendia celeritatis causa sectarentur; unde istiusmodi mortales *notarii* appellati sunt. Martialis in Epigr. 184 Libri XIV notarii peritiam duobus versibus belle complectitur in hunc modum:

Currant verba licet, manus est velocior illis:
Nondum lingua, suum dextra peregit opus.

Luculenter notarium Avsonivs ocissime scribentem nobis offert in Epigr. CXLVI. Sed de hac re Cfr. Ivst. Lipsivm Centur. 1. Epist. Ad Belg. xxvii; et Carpenterivm, *De Alphabeto Tironiano*.

(4) *tristia visa*. Ita ex cod. Ambros., tum Heinsivs et Rvinartivs ex Cod. S. Michaëlis. Plerique *iussa*. Praeferenda *visa;* etenim Cassiani praecepta non re vera aspera et tristia iussa fuere; tametsi talia, quod interdum evenire consuevit, a discipulis cessantibus et corruptis dicerentur.

Doctor amarus enim discenti semper ephebo,
  Nec dulcis ulla disciplina infantiae est.
Ecce, fidem quatiens tempestas saeva, premebat
  Plebem dicatam Christianae gloriae.
Extrahitur coetu e medio moderator alumni
  Gregis, quod aris supplicare spreverat.
Poenarum artifici quaerenti, quod genus artis
  Vir nosset alto tam rebellis spiritu,
Respondent: agmen tenerum ac puerile gubernat,
  Fictis notare verba signis imbuens.
Ducite, conclamat, captivum; ducite, et ultro
  Donetur ipsis verberator parvulis.
Ut libet, inludant, lacerent impune, manusque
  Tinguant magistri feriatas (1) sanguine.
Ludum discipulis, volupe est (2), ut praebeat ipse,
  Doctor severus quos nimis (3) coërcuit.
Vincitur post terga manus, spoliatus amictu,
  Adest acutis agmen armatum stilis (4).
Quantum quisque odii tacita conceperat ira,
  Effundit ardens felle tandem libero.
Coniiciunt alii fragiles inque ora tabellas
  Frangunt: relisa fronte lignum dissilit.

(1) *manusque.... feriatas*, inertes, quae a scribendo cessarent.

(2) *volupe est.* Mss. praestantiores et Vatic. et Heinsiani. Ceterum *volup'est* plautinissimum est. Quibusdam placet *volo se esse*, cui dictioni adhaerescit WEITZIVS.

(3) *nimis.* Refragantibus codicc. maioris momenti CELLARIVS edidit *minis!*

(4) *agmen armatum stilis. Agmen*, discipulorum globus, turba. Arethusiorum pontifex in Syria, teste S. Gregorio Nazianzeno, id tormenti genus est expertus; siquidem in Orat. III contra Iulian. cultri pennarii (γραφίδες) recensentur, quibus pueri venerabilis senis corpus pertercbrarunt.

Buxa crepant cerata (1), genis impacta cruentis,
Rubetque ab ictu curta et humens pagina (2).
Inde alii stimulos et acumina ferrea vibrant,
Qua parte aratis cera sulcis scribitur;
Et qua secti apices abolentur (3), et aequoris hirti
Rursus nitescens innovatur area (4).
Hinc foditur Christi confessor, et inde secatur (5);
Pars viscus intrat molle, pars scindit cutem.
Omnia membra manus pariter fixere ducentae,
Totidemque guttae vulnerum stillant simul.

(1) *buxa... cerata.* Tabellae cera obductae, in quibus stilo perscriberent, fiebant ex abiete, acere, citro, ebore, fago, atque tilia in tenues laminas sectis; sed antiquitus e buxo etiam memorantur. V. Habac. II, 2, ubi Cfr. *Vulgat.* LXX Interpret.

(2) *curta et humens pagina.* Gronovivs et Heinsivs haec reddidere: — *Pagina* est lignea et cerata tabella, quae *curta* dicitur, quum paulo ante scripsisset *inque ora tabellas frangunt, et lignum dissilit.* Lectio tamen *curta tumens pagina* minime videtur a sensu abludere, estque omnium codd. nonnullius momenti. —

(3) *et qua secti apices abolentur.* Ut planius haec assequamur in mentem revocanda forma graphii, seu instrumenti scriptorii ferrei, vel aenei, cuius ope in ceratis tabellis scriberetur. Graphium nempe ab altera parte erat acutum, et in pugionem desinebat ad litteras efformandas; ab altera vero obtusum planumque ad ea delenda, quae scripta haud probarentur; in hanc enim partem converso stilo, iterum cera complanabatur. (Cfr. Hor. *Sat.* I, 10, 72).

(4) *aequoris irti... Innovatur area. Aequor* est aequata planities tabellae, seu paginae, quae graphio litteris incisa, nescio quid inaequale et hirtum oculis obiiceret; litteris autem (versa, id est obtusa stili parte) deletis, iterum complanata nitesceret.

(5) *Hinc foditur..... inde secatur.* Acuminata stili parte confoditur martyr; parte obtusa secatur, caeditur. Sed, si prudentianus stilus qua parte obtusus est secat, dicendum est alium omnino esse ab eo stilo, cuius formam nobis exhibet Bernardus Montfauconius (V. *Paleographia Graeca*, pag. 21), qui scilicet ex altera parte in acutum attenuatur, ex altera vero dentis more obtusus areae complanandae est idonea, sed nullam aciem praesefert qua secare valeat. Cfr. tamen de hac re Lavrentivm Pignorivm, *De Servis,* p. 224.

Maior tortor erat, qui summa pupugerat, infans (1),
  Quam qui profunda perforârat viscera.
Ille levis, quoniam percussor, morte negata,
  Saevire solis scit dolorum spiculis:
Hic quanto interius vitalia condita pulsat,
  Plus dat medelae, dum necem prope adplicat.
Este, precor, fortes (2), et vincite viribus annos:
  Quod defit aevo, suppleat crudelitas!
Sed male conatus tener, infirmusque laborat:
  Tormenta crescunt dum fatiscit carnifex.
— « Quid gemis? exclamat quidam: tute ipse magister
  Istud dedisti ferrum, et armasti manus.
Reddimus ecce tibi tam millia multa notarum,
  Quam stando, flendo, te docente, excepimus.
Non potes irasci quod scribimus: ipse iubebas
  Numquam quietum dextera ut ferret stilum.
Non petimus toties, te praeceptore, negatas,
  Avare doctor, iam scholarum ferias.
Pangere puncta (3) libet, sulcisque intexere sulcos,
  Flexas catenis impedire virgulas.
Emendes licet inspectos longo ordine versus,
  Mendosa forte si quid erravit manus.
Exerce imperium: ius est tibi plectere culpam,
  Si quis tuorum te notavit segnius. » —
Talia ludebant pueri per membra magistri,
  Nec longa fessum poena solvebat virum.

(1) *maior tortor erat infans.* Cur nam *maior?* Quia pueri stilum in magistrum parva vi inferentes, cruciatibus innumeris eum tantum afficiebant, non vero morte, quam ei robustiores accelerarunt.

(2) *este, precor, fortes.* Cassiani verba ad parvos discipulos, qui nondum ex ephebis excesserant.

(3) *pangere puncta.* Infigere. Petulantis discipuli iuvat verba adnotasse felle et livore tincta, a veritate alienissima, in magistrum iactata, quem tamquam iniquum crudelemque traducit.

Tandem luctantis miseratus ab aethere Christus,
 Iubet resolvi pectoris ligamina;
Difficilesque moras animae, ac retinacula vitae
 Relaxat, artas et latebras expedit.
Sanguis ab interno venarum fonte patentes
 Vias secutus, deserit praecordia:
Totque foraminibus penetrati corporis exit
 Fibrarum anhelans ille vitalis calor.
Haec sunt, quae liquidis expressa coloribus, hospes,
 Miraris: ista est Cassiani gloria.
Suggere, si quod habes iustum vel amabile votum, (1)
 Spes si qua tibi est, si quid intus aestuas.
Audit, crede, preces Martyr prosperrimus omnes,
 Ratasque reddit, quas videt probabiles. » —
Pareo, complector tumulum, lacrimas quoque fundo,
 Altar (2) tepescit ore, saxum pectore.
Tunc arcana mei percenseo cuncta laboris:
 Tunc quod petebam, quod timebam murmuro;
Et post terga domum dubia sub sorte relictam,
 Et spem futuri sorte nutantem boni.
Audior (3), urbem adeo; dextris successibus utor:
 Domum revertor, Cassianvm praedico.

(1) *Suggere*, profer, expone; in mentem revoca; unde itali, *suggerire*. (V. Gio. Romani, *Sinon. Italiani)*.

(2) *Altar*, pro altare, vox est Prudentio haud infrequens V. Περὶ Στεφ. *S. Vinc.* II, 515; et ibi *Eulal.* IX, sub fin., etc.

(3) *Audior*, etc. Exaudior, locus precibus meis datur. Noster enim ab Imperatore Honorio, quae summopere exoptaverat impetravit; ac domum, voti reus, reversus, Cassianum versibus celebrat.

HYMNVS X*

PASSIO S. ROMANI

MARTYRIS

S. Romanus apud Caesarienses diaconatus ordini adscriptus, Antiochiae captus est Asclepiadis urbis praefecti iussu, quod falsorum numinum cultores in Christianorum templa irrumpentes prohibere conaretur; atque sub ipsis fere oculis imperatoris Galerii memorabile martyrium fecit an. post Christum natum CCCIII. Omnium longissimum habemus hymnum, carmine iambico, senario, acatalectico perscriptum, quem FABRICIVS merito omnibus prudentianis praefert. Ibi namque poëta multiplici eruditione redundat, sententiarum gravitate distinguitur; praeterea tragico colore verba et cruciatus respergit herois martyris, in universo christiano nomine usque posterorum laude recentis.

ROMANE, Christi fortis adsertor Dei,
Elinguis oris (1) organum fautor move;
Largire comptum carmen infantissimo:
Fac ut tuarum mira laudum (2) concinam:
Nam scis et ipse, posse mutos eloqui.

(*) *Hymnus X.* In Codd. Oxonio et Thuaneo a ceteris hic hymnus est veluti seorsum exscriptus ob carminis prolixitatem: namque MCXL versus complectitur, eo metro exaratos, quos supra diximus. In Ambrosiano pariter tanquam poëmation ducitur ad narrantium genus pertinens, cuius triginta priores versus veluti exordium possint haberi eorum, quae S. Romanus narratur pro Christi doctrina exanclasse. Nos tamen post nonum hymnum descripsimus, ordinem secuti, quem HEINSIVS constituit.

(1) *Elinguis oris.* Ab invocatione orsus capit Martyris, uti sibi auxilietur infacundo, dicendique imperitissimo. Iam se *poëtam rusticum* vocaverat (Περὶ Στεφ. 11, 574); suosque versus dixerat *pedestre carmen* (Praef. ad Περὶ Στεφ. 12); hic demississius fatetur, se esse infantissimum, quae vox puerulum decet, nondum fari incipientem.

(2) *tuarum mira laudum.* Ἑλληνικῶς pro miras tuas laudes concinam.

Plectrum palati (1) et faucium saevus tibi
Tortor revulsit: nec tamen silentium
Indixit ori, quo fatebaris Deum.
Vox veritatis exstingui nequit,
Nec si recisis palpitet meatibus.

Hic noster haerens sermo lingua debili
Balbutit, et modis laborat absonis;
Sed si superno rore respergas iecur,
Et spiritali lacte pectus inriges,
Vox impeditos rauca laxabit sonos.

Evangelista (2) scripsit, ipsum talia
Praecepta Messian dedisse Apostolis:
Nolite verba, quum Sacramentum meum
Erit canendum, providenter quaerere:
Ego imparatis, quae loquantur, suggeram.

Sum mutus ipse; sed potens facundiae
Mea lingua, Christus (3), luculente disseret:
Ipse explicabit quos supremo spiritu (4)
Daemon tumultus, dum domatur, moverit,
Furore pestis peior in novissimo.

Sic vulneratus anguis ictu spiculi
Ferrum remordet, et dolore saevior,
Quassando pressis immolatur dentibus:
Hastile fixum sed manet profundius;
Nec cassa sentit morsuum pericula.

(1) *plectrum palati.* Linguam. V. Tvll. *Nat. Deor.* II, 59 in fin.

(2) *Evangelista* Matth. X.

(3) *Mea lingua Christus.* Christus per epexegesin ad linguam refertur.

(4) *supremo spiritu.* Sub oppugnationis finem, quae decima memoratur in Christianos, et postrema fuit, imperante Galerio

Galerius urbis forte Romanae statum
Ductor regebat (1), ut refert antiquitas,
Immitis, atrox, asper, implacabilis:
Edicta late mundum in omnem miserat,
Christum negaret, quisque mallet vivere.

Haec ille serpens (2) ore dicta regio,
Qui mortuorum de sepulcris exiens
Clamat: quid ante tempus adventu cito
Mea regna solvis? parce, Fili Altissimi,
Vel possidere corda porcorum iube.

Praefectus istis imminens negotiis
Asclepiades, ire mandat milites
Ecclesiasten (3) usque de sacrariis
Raptare plebem, mancipandam vinculis
Ni disciplinam Nazarenam (4) respuat.

Mox ipse templum (5) cogitans inrumpere,
Et dissipare sancta sanctorum studens,
Armis profanus praeparabat impiis
Altaris aram funditus pessum dare,
Foresque et ipsas in ruinam solvere.

(1) *statum..... regebat*. Galerius, nondum Augusti nomine honestatus.

(2) *ille serpens....* Daemon de sepulcris exiens. V. Matth. VIII, 29; et Marc. V. — *ore regio* principis, seu imperatoris.

(3) *Ecclesiasten*. Sic unus antiquiss. mss. Sed ibi manus aliena a voce erasit litteram sigma postremam; tum syllaba *ten* facile coniuncta est cum voce insequenti *usque;* et varia lectio exorta est *ecclesia tenusque*, quae permansit in ceteris codd., demptis duobus, in quibus legimus: *Ecclesia tenus ac de sacrariis*. Nos vocem *Ecclesiasten* adiect., et retinendam existimamus, quae videtur prima fuisse, et cum Heinsio e graeco ἐκκλησιαστίς derivamus; quasi poëta diceret: quae (plebes) cum aliis in unum coït locum, sive dicendi, sive audiendi causa.

(4) *Nazarenam discipl*. V. Hymn. V, 25.

(5) *mox ipse templum*. V. Hymn. S. Laurentii, 146.

Praecurrit index his repente cognitis
Romanvs, acris heros excellentiae,
Venire in armis perduelles nuntiat,
Animos paventum praestruens hortatibus,
Stent ut parati, neve cedant turbini.

Conspirat uno foederatus spiritu
Grex Christianus, agmen imperterritum
Matrum, virorum, parvulorum, virginum;
Fixa et statuta est omnibus sententia
Fidem tueri, vel libenter emori.

Refert repulsus miles (1) ad subsellia,
Plebis rebellis esse Romanvm ducem,
Flagrare cunctos pervicaci audacia,
Iugulos retectos obstinate opponere,
Quo gloriosa morte fortes oppetant.

Praeceps iubetur inde Romanvs rapi,
Solusque ut incitator et fax omnium,
Pro contumaci plebe caussam dicere.
It non resistens, seque vinciri petit,
Flexas et ultro torquet in tergum manus.

Amor coronae paene praevenit trucem
Lictoris artem, sponte nudas offerens
Costas, bisulcis exsecandas ungulis.
Inrumpit altum limen (2), et praeconibus
Stupore mutis, ipse tortorem trahit.

(1) *repulsus miles*, e limine templi prohibitus, *ad subsellia*, scil. ad tribunal Asclepiadis, qui iudicibus praeesset, refert nomen Romani.

(2) *irrumpit altum limen*. Iudicis praetorium invadit Romanus.

Adstanti ob ora sic tyrannus incipit:
— « Infame monstrum, vilis, intestabilis. (1)
Tu ventilator (2) urbis, et vulgi levis
Procella, mentes inquietas mobiles,
Ne se imperita turba dedat legibus.
Populare quiddam sub colore gloriae
Inlitterata credidit frequentia,
Ut se per aevum consecrandos autument,
Si bella divis, ceu gigantes (3), inferant,
Victique flammis obruantur montium.
Hoc tu parasti, perdite, spectaculum
Cladis cruentae de necandis civibus,
Quos ut profanos (4), impiati et saeculi
Reos, necesse est te magistro interfici:
Tu caussa mortis, tu malorum signifer.
Ni fallor, aequum est, ut quod auctor improbus
Tolerare multos compulisti, carnifex
In te recurrat; proque tantis caedibus,
Quae mox futurae, primus exitium luas:
Feras et ipse quod ferendum suaseras. » —
His ille contra reddit ore libero:
— « Amplector, o Praefecte, nec me subtraho,
Ut pro fideli plebe solus immoler,
Dignus subire cuncta, si me consulis,
Quaecumque vestra iusserit crudelitas.

(1) *intestabilis.* In XII Tabulis: « improbus intestabilisque esto. »; eratque ita dictus, qui lege testis esse nequiret. V. CAIVM, *Digest.* XXVIII, 1, 26. Transl. infamis, detestabilis.

(2) *ventilator*, qui post trituram legumina frumentaque in sublime ventilabro iaculatur, quo ventorum flatu grana a paleis secernantur. Transl. civium concitator, plebis impulsor.

(3) *ceu gigantes.* Trita est fabula de Gigantibus bellum in Iovem facientibus. Est, nobis Gigantomachia. C. Claudiani, aequalis fere Prudentii, quae tamen ad finem non pertingit.

(4) *profanos.* In universum profanus est sacro contrarius. V. Hor. Ep. ad Pis. 397. Hoc autem crimine ad iudices rei deferebantur Christiani.

Intrare servis idolorum ac daemonum
Sanctam salutis non licet nostrae domum (1),
Ne polluatur purus orandi locus:
Confido Sancto in Spiritu, numquam tibi
Dandum, ut beatum limen attingas pede.
Ni forte noster factus, in nostrum gregem
Mereare sumi: quod Pater faxit Deus. » —
Incensus his Asclepiades, iusserat
Eviscerandum corpus eculeo (2) eminus
Pendere, et uncis vinculisque crescere (3).
Apparitores sed furenti suggerunt,
Illum vetusta nobilem prosapia,
Meritisque multis esse primum civium.
Iubet amoveri noxialem stipitem,
Plebeia clarum poena ne damnet virum.
— « Tundatur, inquit, terga (4) crebris ictibus,
Plumboque cervix verberata (5) esxtuberet:
Persona quaeque competenter plectitur,
Magnique refert, vilis an sit nobilis:
Gradu reorum forma tormentis datur. » —

(1) *sanctam salutis domum.* Templa; quae et primis temporibus sancta veluti domus salutis habebatur, et ianua coeli.

(2) *eculeo.* De equuleo, quem mox (v. 114) *noxialem stipitem* varietatis gratia vocat, in mentem revoca quae adnotavimus hymno V, 110.

(3) *vinculisque crescere.* Ita mss. potiores, et Gisel. — Weitzivs Fabricivsqve *ungulisque crescere;* sed inconcinne; non enim ungulis corpus distractum extenditur, uti probe animadvertit editor parmensis, quem sequimur. Eadem dictio ob oculos tibi observatur in hymno I, 105.

(4) *terga.* mss. plerique. — *tergum* nonnulli. Ceterum *tundatur terga* graeca est dictio.

(5) *plumboque.... verberata.* Per synecd. plumbum pro eo quod est flagella plumbata, glandibus scilicet seu pilis plumbeis instructa. De variis flagellorum generibus vide sis Gallonivm, *De Martyr. Cruc.* c. IV; et A. M. Lvpivm *Dissert.* XII; tum *Cod. Theodos.* IX, 35, 2 et Baronivm in adnot. ad *Martyr. Rom.*

Pulsatus ergo martyr illa grandine,
Postquam inter ictus dixit hymnum plumbeos,
Erectus infit: — « absit, ut me nobilem
Sanguis parentum praestet, aut lex curiae:
Generosa Christi secta nobilitat viros.

Si prima nostri quae sit in cunabulis
Origo textu stemmatis recenseas (1):
Dei parentis esse ab ore (2) coepimus:
Cui quisque servit, ille vere est nobilis;
Patri rebellis, invenitur degener.

Honos deinde stemmati accedit novus,
Et splendor ingens, ut magistratus venit;
Si confitendi nominis (3) testem probum
Signent inusta ferri et ignis vulnera,
Et vim dolorum mors sequatur inclita.

Cave benignus esse perverse velis,
Nec mî remissus leniter peperceris:
Incumbe membris tortor, ut sim nobilis;
His ampliatus si fruar successibus,
Genus patris matrisque flocci fecero.

(1) *textu stemmatis recenseas.* Stemma proprie est *sertum, corona.* Speciatim dicitur de coronis, seu foliorum sertis implicatis, quibus nectebantur invicem imagines, id est vultus maiorum cera expressi. (V. Senec. *De Benef.* III, 28). Hinc pro serie cognationis, ac nobilitate familiae. Nos stemma diceremus more nostro *l'albero genealogico delle famiglie, la loro genealogia.*

(2) *ab ore coepimus.* V. *Genes.* II. 7.

(3) *confitendi nominis.* Scil. Iesv Christi. Veteres Christiani *τὸ nomen* ἐξόχως pronuntiabant pro eo quod est *Iesus Christus,* cui, teste S. Paulo ad Philipp. II. « Deus donavit nomen, quod est super omne nomen. » De hac re vide si. Mazochivm *Spicil. Bibl.* Pars Altera, p. 90.

Haec ipsa vestra dignitatum culmina
Quid esse censes? nonne cursim transeunt
Fasces, secures (1), sella, praetexta et toga,
Lictor, tribunal, et trecenta insignia,
Quibus tumetis, moxque detumescitis? (2)

Quum consulatum initis, ut vernae solent,
(Pudet fateri!) farre pullos pascitis (3);
Aquila ex eburna (4) sumit arrogantiam
Gestator eius, ac superbit belluae
Inflatus osse, cui figura est alitis.

Iam si sub aris ad sigillorum (5) pedes
Iaceatis, infra sectilem quercum (6) siti,
Quid esse vobis aestimem proiectius?
Nudare plantas (7) ante carpentum scio
Proceres togatos, matris Idaeae sacris.

(1) *fasces, secures,* etc. honorum insignia, quos Venvsinvs *tergeminos* vocat in *Lyricor.* praefactione.

(2) *detumescitis.* Vos qui laudis amore *tumetis*, uti diceret Horat. (*Ep.* I, 1, 36), dum magistratus exercetis vobis delatos, annuo expleto magistratu, tumorem, quo incedebatis ante omnium ora inflati, deponitis. *Detumeo* usurpavit Stat. Theb. V, 468; et inchoat. *detumesco* in fragm. occurrit Petronianis 109.

(3) *farre pullos pascitis* ad auspicia. Tamquam vernae, quibus cura pullos gallinaceos in cohorte pascendi demandatur.

(4) *ex ebore.* Consules, et qui triumphum deportarent scipionem ex ebore gestabant, in cuius summo esset eburnea aquila insculpta. V. Ivv. X, 48.

(5) *Sigillorum.* Sigillum, parvum est signum, imaguncula. V. infra v. 335.

(6) *infra sectilem quercum,* infra statuam ex querna materia factam.

(7) *nudare plantas.* Hoc quippe erat in more positum, dum sacra obirent Ideae seu Cibeles, quae Deor. Mater, aut Magna Mater appellabatur. — *Ante Carpentum.* Aliud erat carpentum a pilento, cisio, et rheda. V. Chefferum, *De Re Vehiculari.* Carpentum, quem sacra pompa praecedebat vide in Ovid. *Fast.* IV, 335.

Lapis nigellus (1) evehendus essedo,
Muliebris oris clausus argento sedet:
Quem dum ad lavacrum praeeundo ducitis (2),
Pedes remotis atterentes calceis,
Almonis usque pervenitis rivulum.
Quid illa turpis pompa? nempe ignobiles
Vos esse monstrat, quam Luperci curritis (3).
Quem servulorum non rear vilissimum,
Nudus plateas si per omnes cursitans,
Pulset puellas verbere ictas ludicro?
Miseret tuorum me sacrorum et principum,
Morumque, Roma, saeculi summum caput.
Age, explicemus, si placet, mysteria,
Praefecte, vestra: iam necesse est audias,
Nolis velisve, quid colatis sordium.
Nec terret ista, qua tumes, vesania,
Quod vultuosus, quod supinus, quod rigens,
Tormenta leti comminaris asperi;
Si me movere rebus ullis niteris,
Ratione mecum, non furore dimica.

(1) *Lapis nigellus.* Simulacrum Cibeles ex lapide nigro erat, Romamque Pessinunte primum est comportatum. E magnete factum docet Io. Frider. Hervartivs Koenbvrgen in Opere, cui. tit.: *De admirandis Ethnicae Theologiae mysteriis.* Muliebrem faciem praeseferebat, sed lapis omnino rudiusculus fuit in coni similitudinem desinens; qui tamen in capsula, seu theca argentea custodiebatur.

(2) *ad lavacrum ducitis.* Sacerdotes Cybeles ipsius deae simulacrum et cultros sanguinolentos, suaque vulnera abstergebant in Almone, parvulo fl., quod decurreret prope portam Capenam, cuique recentiores *Acquaterico* nomen fecerunt. V. Ovid. *Fast.* IV, 337, et seqq.; Lvc. I, 600; Mart. III, 47; S. Avgvst. *De Civ. Dei,* II, 4.

(3) *Luperci, curritis.* Mense febr. Sacerdotes Luperci per urbem nudi discurrebant, sacra Panos Licaei agitantes. De quibus vide Ovid. II, 267 et seqq. *Fastor.* Lupercalia adhuc saeculo quinto vigebant, teste Baronio ad an. cccxcvi.

Iubes, relictis Patris et Christi sacris,
Ut tecum adorem feminas mille (1) ac mares,
Deos deasque, deque sexu duplici
Natos, nepotes, abnepotes editos,
Ut tot stuprorum sordidam prosapiam.

Nubunt (2) puellae; saepe luduntur dolis,
Amasionum comprimuntur fraudibus:
Incesta fervent, furta moechorum calent,
Fallit maritus (3), odit uxor pellicem:
Deos catenae conligant adulteros (4).

Ostende, quaeso, quas ad aras praecipis
Vervece caeso fumet ut caespes (5) meus?
Delphos ne pergam? Sed vetat palaestrici
Corrupta ephebi fama (6), quem vester deus
Effeminavit gymnadis licentia.

Mox flevit impuratus (7) occisum gravi
Disco, et dicavit florulentum subcubam.
Conductus (8) idem pavit alienum pecus;

(1) *Feminas mille* etc. Duplicem in diis sexum irrident sapienter Arnob. L. III, et Lactant. I, xvi, quos iuvat adire.

(2) *nubunt puellae*, scil. Proserpina Plutoni nupsit, Herculi Hebe. — *luduntur dolis;* in fraudem inducuntur Europe et Danaë ab ipso Iove. *De incestis deorum nuptiis* V. praeter Minvc. Felic. S. Avgvstinvm, *De Civit. Dei.* IV, 10.

(3) *maritus* Iuppiter. — *uxor*, Iuno.

(4) *Deos catenae conligant.* Vulcani catenis et rete Mars Venusque se constrictos senserunt, uti cecinit Ovid., in *Metamorphosibus.*

(5) *caespes.* V. Hymn. S. Vincent. V, 50.

(6) *palaestrici... fama.* Fabulam attingit Hyacinthi pueri, quem, disco fallente, Phaebus, seu Apollo eius amasius interfecit.

(7) *impuratus*, impurus factus. Vox comicorum. — *florulentum.* Miseratione deorum in florem sui cognominis conversus fuit Hyacinthus.

(8) *conductus idem.* Idem Apollo, pacta mercede, regi Admeto serviit, cuius pavit armentum.

Furem (1) deinde perditi passus gregis,
Segnis bubulcus tela (2) et ipsa perdidit.

An ad Cybeles (3) ibo lucum pineum?
Puer sed obstat Gallus (4), ob libidinem
Per triste vulnus, perque sectum dedecus
Ab impudicae tutus amplexu deae:
Per multa Matri sacra plorandus spado.

Sed, credo, magni limen amplectar Iovis:
Qui si citetur legibus vestris reus,
Laqueis minacis implicatus Iuliae (5),
Luat severam vinctus (6) et Scantiniam,
Te cognitore (7), dignus ire in carcerem.

Quid aureorum conditorem temporum (8)
Censes colendum? quem fugacem non negas
Latuisse furtim, dum reformidat malum:
Quem si beate vivere audit Iuppiter,
Plectat necesse est occulendi conscios.

(1) *furem passus.* Mercurium, qui ei boves per furtum subduxit, uti legimus in *Metam.* II.

(2) *tela... perdidit.* V. Horat. *Lyricor.* I, 10; 10.

(3) *ad Cybeles,* vel *Cybebes.* Heins. — *Cybellis,* Gisel.

(4) *puer Gallus.* Atys, puer Phrygius. De hoc puero et Rhea, quae eum deperiret V. S. Avgvst. *De Civit. Dei.* VI, 7.

(5) *legibus... Iuliae.* Lex Iulia in adulteros lata erat. V. Svet. *August.* xxxiv.

(6) *vinctus.* Heins. Alii cum Giselin. *victus.* — *Scantiniam.* Legis Scantiniae in impudicos meminit Svet. *Domit.* VIII; Ivven. *Sat.* II, 44, et Qvintil. *Inst. Orat.* IV, 2, a med.

(7) *te cognitore.* Cognitor in re iudiciaria, qui causam vel crimen alterius indicii causa cognoscit; quaesitor, iudex.

(8) *aureor. conditor. temporum.* Saturnum, quo regnante, in terris aurea mortalibus aetas fluxit.

Quid inter aras dissidentum numinum (1)
Putas agendum? Martis indignabitur
Offensa virtus, si colatur Lemnius (2).
Iunonis iram (3) sentiet, quisque ut deum
Signo aut sacello consecrârit Herculem.
Dicis (4), licenter haec poëtas fingere.
Sed sunt et ipsi talibus mysteriis
Tecum dicati: quodque describunt, colunt.
Tu cur piâclum tam libenter lectitas?
Cur in theatris, te vidente, id plauditur?
Cycnus stuprator (5) peccat inter pulpita,
Saltat Tonantem tauricornem ludius;
Spectator horum pontifex summus sedes,
Ridesque et ipse, nec negando diluis,
Quum fama tanti polluatur numinis.
Cur tu, sacrate, per cachinnos solveris
Quum se maritum fingit Alcmenae deus? (6)
Meretrix Adonin vulneratum scenica
Libidinoso plangit adfectu palam.
Nec te lupanar Cypridis sanctae movet?

(1) *inter aras dissid. numin.* In Homeri Virgiliique poëmatis deos mutuas simultates inter se se, iurgia, discordias exercentes videmus. V. S. AVGVST. *De utilit.* Ieiunii CVII.

(2) *Lemnius.* Vulcanus in insula Lemno honoratus.

(3) *Iunonis iram.* Quod Hercules, Iunonis privignus, ex Alcmena pellice natus fuit.

(4) *Dicis.* V. in hanc rem S. AVGVST. *De Civit. Dei*, II, 8.

(5) *Cycnus.* Iuppiter in cycnum conversus. — *saltat.* Fabulam saltare dicitur quum ludio eam gestu et corporis totius motu repraesentat; uti nostris moribus pantomimi et psaltriae artem suam experiuntur in theatris, eas fabulas agentes, quas a choreis ducendis *un Ballo* dicimus. — *Tauricornis,* taurinis cornibus instructus; estque appositum, quod Prudentius Iovi tribuit in taurinam formam, ob Europae amorem turpiter immutato.

(6) *se maritum fingit.* Plautus fabulam in scenam traduxit, cui nomen fecit Amphitruoni. Sed Romanis hanc tragicocomaediam plautinam aiunt minine placuissse.

Quid? quod sub ipsis veritas signis (1) patet,
Formata in aere criminum vestigiis.
Quid vult sigillum semper adfixum Iovi
Avis ministrae? (2) nempe velox armiger
Leno, exoletum (3) qui tyranno pertulit.
Facem recincta veste praetendit Ceres (4).
Cur, si deorum nemo rapuit virginem,
Quam nocte quaerens mater errat pervigil?
Fusos rotantem cernimus Tyrinthium (5):
Cur, si Neaerae non fuit ludibrio?
Quid rusticorum monstra detester deûm,
Faunos, Priapos, fistularum praesides (6),
Nymphas natantes, incolasque aquatiles,
Sitas sub alto, more ranarum, lacu:
Divinitatis ius in algis vilibus?
Ad haec colenda me vocas, censor bone?
Potesne quidquam tale, si sanum sapis,
Sanctum putare? nonne pulmonem movet
Derisus, istas intuens ineptias,
Quas vinolentae somniis fingunt anus?

(1) *Signis.* Non poëtae tantum, sed pictores et statuarii istiusmodi deorum turpia facta ob oculos, ad civium mores corrumpendendos, proponebant. De iis idcirco merito questi sunt et TERENT. ipse, in EVN. III, 5, 35, — 41; et PROPERTIVS, II, 6; et OVID., et TIB., aliique vel liberiores poëtae.

(2) *avis ministrae,* Aquilae, quae Ganimedem fingitur e terris sublimem ad Iovem perduxisse.

(3) *exsoletum.* V. *Contra Symmac.* I, 69.

(4) *Ceres.* Cereris fabulam habes in Tullii Verrina VI; deque rapta a Dite Proserpina poëma panxit C. CLAVDIANVS, cuius tamen tertius liber mutilus ad nos pervenit.

(5) *Tyrinthium.* Hercules inter ancillas Omphales, Lydorum reginae, colo pensa trahens narratur. V. PROP. III, 11, 17 et seqq. — *Si Neaerae* etc. Neaera pro qualibet formosa puella, apud HOR., TIBVL., VIRG., etc.

(6) *Fistular. praesides.* Pan primus avenae dicitur fuisse inventor. V. OVID. *Metam.* I, 690.

At, si quid usquam vanitatis (1) mysticae
Nobis colendum est, ipse primus incipe;
Pronusque adora quidquid in terris sacri est,
Deos Latinos, et deos Aegyptios,
Quîs Roma libat, quîs Canopus (2) supplicat.
Venerem precaris? comprecare et simiam. (3)
Placet sacratus aspis Aesculapii? (4)
Crocodilus (5), ibis, et canis, cur displicent?
Adpone porris religiosas arulas,
Venerare acerbum caepe (6), mordax allium.
Fuliginosi ture placantur Lares,
Et respuuntur consecrata oluscula:
Aut unde maior esse maiestas focis,
Quam nata in hortis sarculatis creditur,
Si numen ollis, numen et porris inest.
Sed pulchra res est forma in aere sculptilis.
Quid imprecabor officinis Graeciae,
Quae condiderunt gentibus stultis deos?
Forceps Myronis, malleus Polycliti (7),
Natura vestrum est atque origo caelitum.

(1) *At si quid vanitatis*. etc. Venit nunc poëta ad Aegyptiorum religiones; de quibus vide sis Io. LAVRENTIVM MOSHEMIVM ad *Radulphi Cudvvorti Systema intellectual*. Tom. I, p. 415.

(2) *Canopus,* synecd. pars pro toto Aegypto.

(3) *et simiam*. Scil. cercopithecum. Nos: *gatto mammone*. V. IVV. *Sat*. XV, 4.

(4) *Aspis Aesculapii*. V. Ov. *Met*. XV, 50 et seqq., ubi narrat Epidauro Romam venisse Aesculapium in serpentem conversum.

(5) *Crocodilus*. De animalibus pro diis apud Aegyptios cultis vide sis WOSSIVM *ad Lactant*. L. VII.

(6) *caepe etc*. V. IVV. *Sat. XV,* 9. et seqq.

(7) *Forceps Myronis*. Myron statuarius insignis, Boeotus; Polycletus Sicyonius item statuarius eximius, de quibus TVLLIVS in VI Verrina, et PLINIVS MAIOR in H. N. XXXIV, 6, 8; et 8, 19.

Ars seminandis efficax erroribus,
Barbam rigentem dum Iovis circumplicat,
Dum defluentem leniter flectens comam,
Limat capillos, et corymbos Liberi,
Et dum Minervae pectus, hydris asperat (1),
Iniecit atram territis (2) formidinem,
Ut fulmen aëris, ceu Tonantis, horreant.
Tremant venenum sibilantis Gorgonae:
Putent Ephebum (3) post triumphos Indicos
Ferire thyrso posse, quum sit ebrius.
Tum, quod Dianam molle succinctam (4) vident,
Venantis arcum pertimescunt virginis:
Si forte vultum tristioris Herculis
Liquore crispo (5) massa finxit fusilis,
Clavam minari, ni colatur, creditur.
Iam quis paventum corda terror occupat,
Iunonis iram si polite expresserit?
Velut retortis intuens obtutibus,
Avertat ora de litantis hostia,
Lapis severa fronte mentitur minas.
Miror, quod ipsum non sacrastis Mentorem, (6)
Nec templum et aras ipse Phidias habet,

(1) *Minervae pectus hydris.* In clypeo, aut in ipsa lorica Minerva caput Gorgonis seu Medusae gerebat. V. Virg. *Aen.* VIII, 434.

(2) *iniecit atram territis formid.* Hebraei ex Buxtorphio *idolum*, id est signum, simulacrum deorum inanium, eorum lingua vocarunt עצב (terriculum), quod metum terroremque inducat.

(3) *Ephebum.* Bacchum.

(4) *Molle.* Adverbii ritu pro molliter. V. Ovid. *Met.* IX, 221; Stat. 1. Theb. 330.

(5) *liquore crispo*, aere liquido imitans crispos capillos.

(6) *Mentorem.* Artificem graecum in vasis praesertim argenteis caelandis celeberrimum. — *Phidias* pernobilis statuarius, qui in ebore scalpendo omnes infra se aemulos longe reliquit; diis tamen, teste Quintilliano (XII, 10), quam hominibus efficiendis melior.

Fabri deorum, vel parentes numinum:
Qui, si caminis institissent segnius,
Non esset ullus Iuppiter conflatilis.
Non erubescis, stulte, pago dedite (1),
Te tanta semper perdidisse obsonia (2):
Quae dîs ineptus obtulisti talibus,
Quos trulla (3), pelvis, cantharus, sartagines,
Fracta et liquata contulerunt vascula?
Ignosco fatuis haec tamen vulgaribus,
Quos lana terret discolora in stipite (4),
Quos saepe salsus circulator (5) decipit:
Quibus omne sanctum est, quod pavendum rancidae
Edentularum cantilenae suaserint.

(1) *pago dedite*, pagane. Ex Wossii Aetimol. proprie pagani dicebantur, qui in pagis habitabant; tum qui otiosam vitam securamque traducebant, procul a militia, curisque et laboribus remoti. Apud scriptores Ecclesiasticos pagani intelliguntur qui deos falsos colunt, retinentque veteres superstitiones, quae diutius in pagis villisque mordicus observarentur; nam in urbibus nova Christi religio omnes ordines pervaserat, et templa ad honorem veri Dei extruebantur. Plura invenies de hac re in opere *De Vita Antiq. Benev.* p. 275. Vide et PRVDENTIVM *Contra Symm.* II, 450; et in hoc ipso hymno v. 1015. Aliud vocis etymon habebis apud MAZOCHIVM, virum eruditiss. in suo *Spicil. Bibl.* Vol. III, p. 295. Hic vides, lector amice, *pago dedite,* seu *pagane* dici per prolepsin.

(2) *Obsonia*. Transl. liba, sacrificia.

(3) *Trulla, pelvis*, etc. Istiusmodi vasis, quum nullius amplius usus essent, conflatis idola effingebant.

(4) *lana terret discolora.* In nonnullis editt. et in Weitziana et Amstelodamensi anni M.DC.XXXI legitur *discolor.* Veteres nonnullas arbores sanctas habuere, quae umbram facerent, sacrum horrorem incutientem. Has vittis taeniisque ornabant. V. PRVD. *Contra Symmac.* II, 1009, et ARNOB. *Adversus Gentes,* L. V. — Tres Vaticc. versum in hunc modum refingunt: *Quos verum latet qui fidunt in stipite;* huncque WEITZIVS offendit in tribus suis codd.

(5) *salsus circulator.* HEINS. ex duobus mss.; sed omnes fere Vaticc. ceterique habent *falsus.* Eandem lect. describunt Iso-

Vos eruditos miror et doctos viros,
Perpensa vitae quos gubernat regula,
Nescire vel divina, vel mortalia
Quo iure constent: quanta maiestas regat,
Quidquid creatum est, quae creavit omnia.
Deus perennis, res inaestimabilis,
Non cogitando, non videndo clauditur:
Excedit omnem mentis humanae modum;
Nec comprehendi visibus nostris valet,
Extraque et intus implet ac superfluit.
Intemporalis (1) ante, quam primus dies:
Esse et fuisse semper unus obtinet:
Lux ipse vera, veri et auctor luminis:
Quum lumen esset, lumen effudit suum:
Ex luce fulgor natus hic est Filius.
Vis una Patris, vis et una est Filii,
Unusque ab uno lumine splendor satus,
Pleno refulsit claritatis lumine.
Natura simplex pollet unius Dei;
Et, quidquid usquam est, una virtus condidit.
Caelum solumque, vim marini gurgitis,
Globos, dierum noctiumque, praesides,
Ventos, procellas, fulgura, imbres, nubila.
Septemtriones, Hesperos, aestus, nives,
Fontes, pruinas, et metalla, et flumina:
Praerupta, plana, montium convallia,
Feras, volucres, reptiles, natatiles,
Iumenta, pecua (2), subiugales belluas,

NIVS et NEBRISSENSIS, pro eo quod est deceptor. *De Circulatoribus*, V. CELS. V, 27, N. 3. Nos istiusmodi circumforaneos mortales diceremus : *cantambanchi, cerretani.*

(1) *intemporalis*, qui est extra tempus, est aeternus. Prudentianum adiectivum.

(2) *pecua*. V. VINC. LANFRANCHII, *Lex. Poët. Tot. Linguae Latinae.* — Aug. Taurinor. ex Offic. Regia an. M.DCCC.XC.

Flores, fruteta, germina, herbas, arbores,
Quae sunt odori, quaeque vernant esui.
  Haec non labore et arte molitus Deus,
Sed iussione, quam potestas protulit,
Mandavit esse: facta sunt quae non erant.
Verbo creavit omniformem machinam:
Virtus Paterna semper in Verbo fuit.
  Cognôstis (1) ipsum. Nunc colendi agnoscite
Ritum modumque, quale sit templi genus,
Quae dedicari sanxerit donaria,
Quae vota poscat, quos sacerdotes velit,
Quod mandet illic nectar immolarier.
  Aedem (2) sibi ipse mente in hominis condidit
Vivam, serenam, sensualem, flabilem,
Solvi incapacem posse, nec destructilem,
Pulchram, venustam, praeminentem culmine,
Discriminatis inlitam coloribus.
  Ille sacerdos stat sacrato in limine,
Foresque primas virgo custodit Fides (3).
Innexa crines vinculis regalibus,
Poscit litari victimas Christo et Patri,
Quas scit placere, candidatas, simplices.
  Frontis pudorem, cordis innocentiam,
Pacis quietem, castitatem corporis,
Dei timorem, regulam scientiae,
Ieiuniorum parcitatem sobriam,
Spem non iacentem, semper et largam manum.

(1) *cognôstis*, sync. pro cognovistis.

(2) *aedem*. Ad mores hominis refertur. — *sensualem*, quae ad sentiendi et intelligendi vim pertinet. V. TERTVLL. (Anim. 43). Sensualis igitur saepe est quod sensu potest percipi, sensilis, sensibilis. — *flabilem*, aëream, spirabilem; sed hic christiano sensu idem valet ac *spiritualem*. Iniuria quidam legunt *flebilem*, aut *stabilem*.

(3) *Fores primas* etc. S. AVGVST. *Ep. ad Sixtum:* « ex fide omnis iustitia sumit initium. » V. et *De Praedest. SS*. C. VII.

Ex his amoenus hostiis surgit vapor,
Vincens odorem balsami, turis, croci,
Auras madentes Persicorum aromatum:
Sublatus inde caelum adusque tollitur,
Et prosperatum dulce delectat Deum.

Hanc disciplinam quisquis infensus vetat,
Vetat probatum (1) vivere, et sanctum sequi:
Vetat vigorem mentis alte intendere,
Nostrique acumen ignis (2) ad terram vocat,
Nec excitari vim sinit prudentiae.

O mersa limo coecitas gentilium!
O carnulenta (3) nationum pectora!
O spissus error! o tenebrosum genus!
Terris amicum, deditum cadaveri,
Subiecta semper intuens, numquam supra!

Furorne summus, ultima et dementia est,
Deos putare, qui creantur nuptiis?
Rem spiritalem terrulente quaerere,
Elementa mundi consecrare altaribus;
Id, quod creatum est, conditorem credere?

Deasciato (4) supplicare stipiti,
Verris cruore scripta saxa spargere,
Aras ofellis obsecrare bubulis;

(1) *probatum*, adverbial. probe, recte; et videtur Prudentianum.

(2) *acumen ignis*, mentis acies, quae, ut ignis, in altum tendit.

(3) *carnulenta*, proprie carnosa, carni similia; et vox reperitur in Solin. 11. Noster transl., uti infra *terrulenta*.

(4) *deasciato*, ascia polito, dolato. Prudentius e plautino *deasciare* derivavit. — *scripta saxa*, sunt saxa litterata, dec alicui inscripta.

Homines fuisse quum scias (1), quos consecras,
Urnas reorum morticinas (2) lambere?
  Desiste, iudex saeculi, tantum nefas
Viris iubere fortibusque et liberis:
Nil est amore veritatis celsius.
Dei perennis numen adserentibus
Nihil est pavori, mors et ipsa subiacet. » —
  Dudum coquebat, disserente martyre,
Asclepiâdes intus iram subdolam,
Stomachatus alto felle, dum longum (3) silet,
Bilemque tectis concipit praecordiis;
Tandem latentis vim furoris evomit:
  — « Pro Iuppiter! quid est, quod ex hoc audio?
Stat inter aras et deorum imagines
Et, quod fateri cogor, in medio foro,
Tacente memet, ac perorat perditus,
Quidquid sacrorum est ore foedans impio.
  O fas priorum! (4) moris o prisci status!
Inventa regum pro salute publica
Pompiliorum (5) nostra carpunt saecula.
Quis hos sophistas error (6) invexit novus,
Qui non colendos esse divos disputent?

(1) *Homines fuisse quum scias.* V. S. Avgvst. *De Civ. Dei.* L. VII, 18.

(2) *morticinas.* Urnas eorum, qui non mactati aut occisi sunt, sed natura concesserunt; non igitur morticinus est exiguum cadaver, uti apud nos Italos *un morticino.* (V. A. Manzoni, *Promessi Sposi*, C. XXXIV). Hic sepulcrum indicatur, ubi cadavera condita sunt.

(3) *longum* sing. et *longa* n. pl. adverbial. pro diu.

(4) *priorum.* Priores οἱ πρόγονοι, maiores: nos *antenati.*

(5) *Pompiliorum.* Numae Pompilii, qui primus in urbem religionem induxit, et ceterorum qui huius regis exempla secuti sunt.

(6) *sophistas.* Qui per sapientiae speciem falsa profitentur. Lucianus hoc sensu religionis nostrae divinum Conditorem ἀνεσκολοπισμένον σοφιστὴν est ausus impudentissimus omnium graecorum appellare. (V. *Dial. Peregr.* apud S. Cyr. L. VII, p. 229).

Nunc dogma nobis Christianum nascitur,
Post evolutos mille demum consules
Ab urbe Roma, ne retexam Nostoras (1).
Quidquid novellum surgit, olim non fuit.
Vis summa rerum nosse? Pyrrham (2) consule.
Ubi iste vester tunc erat summus Deus,
Divûm favore quum puer Mavortius
Fundaret arcem septicollem Romulus?
Quod Roma pollet auspicato (3) condita,
Iovi Statori debet et diis ceteris.
Hoc sanctum ab aevo est, hoc ab atavis traditum:
Placanda nobis pro triumphis principis
Delubra, faustus ut secundet gloria
Procinctus, utque subiugatis hostibus
Ductor quietum frenet orbem legibus.
Accingere ergo, quisquis es, nequissime,
Pro Principali (4) rite nobiscum deos
Orare vita : vel, quod hostem publicum
Pati necesse est, solve poenam sanguine:
Sprevisse templa, respuisse est principem. » —
Tuncille : — « numquam pro salute, et maximis
Fortissimisque principis cohortibus
Aliter precabor, quam fidele ut militent,
Christique lymphis ut renascantur Patri,
Capiant et ipsum caelitus Paraclitum.

(1) *Nestora*. Ne me ad heroum aetatem referam, quo tempore floruit Nestor.

(2) *Pyrrham consule*. V. Historiam fabularem, et nostrum in Ἀποθ. 292.

(3) *auspicato*, uti *augurato* adverbial. Scilic. captis auspiciis. V. Tvll. *De Divin*. II.

(4) *pro principali... vita*. Pro vita, quae ad principem attinet. Dictio occurrit apud Vell. Paterc. Tacitvm, Plinivm et Svet. — Pro Caesaris incolumitate.

Ut idolorum respuant caliginem,
Cernant ut illud lumen aeternae spei,
Non succulentis (1) influens obtutibus,
Nec corporales per fenestras emicans,
Puris sed intus quod relucet mentibus.
Pupilla carnis crassa crassum perspicit,
Et res caduca, quod resolvendum est, videt:
Liquidis videndis aptus est animae liquor (2):
Natura fervens sola, ferventissimae
Divinitatis vim coruscantem capit.
Hoc opto, lumen Imperator noverit
Tuus meusque, si velit fieri meus;
Nam si resistit Christiano nomini,
Meus ille talis imperator non erit:
Scelus iubenti, crede, numquam serviam. » —
— « Statis, ministri, clamitans iudex ait,
Statis? manusque continetis vindices?
Non rupta sulcis dissecatis viscera?
Animam nec intus abditam rimamini,
Erumpit unde vox profana in principem? » —
Scindunt utrumque milites teterrimi
Mucrone hiulco (3) pensilis latus viri,
Sulcant per artus longa tractim vulnera,
Obliqua rectis, recta transversis secant,
Et iam retectis pectus albet ossibus.
Nitendo anhelant, diffluunt sudoribus,
Quum sit quietus heros, in quem saeviunt.
Haec inter addit sponte Romanvs loqui:

(1) *succulentis* et *suculentis*, succi plenis, qui, quum sint vegeti, humore redundant.

(2) *animae liquor*, puritas animi, quae clara et divina perspicit.

(3) *mucrone hiulco*, Ungulas memorat, de quibus in hymno S. Vinc. 113. — *pensilis*, pendentis.

— « Si quaeris, o Praefecte, verum noscere,
Hoc omne, quidquid lancinamur (1), non dolet.

Dolet, quod error pectori insedit tuo,
Populos quod istos perditum (2) tecum trahis:
Currunt frequentes undique ad spectaculum
Gentile vulgus, heu! gemenda corpora;
Crudumque nostrae sortis exemplum tremunt.

Audite cuncti: clamo longe ac praedico:
Emitto vocem de catasta (3) celsior:
Christus, paternae gloriae splendor (4), Deus
Rerum creator, noster idem particeps
Spondet salutem perpetem credentibus.

Animae salutem, sola quae non occidit,
Sed iuge durans, dispares casus subit,
Aut luce fulget, aut tenebris mergitur.
Christum secuta Patris intrat gloriam;
Disiuncta Christo, mancipatur Tartaro.

Curanda mercis (5) qualitas, quaenam mihi
Contingat olim perpetis substantiae (6);
Nam membra parvi pendo quo pacto cadant,
Casura certe lege naturae suae.
Instat ruina: quod resolvendum est, ruat.

(1) *quidquid lancinamur.* Lancino, graece λακίζω. Dilancinatus, a dilancino, vidimus in hymno V, 156.

(2) *perditum*, codd. potiores et Heinsivs. Quidam legunt *perditus;* Weitzivs *perditos* praetulit.

(3) *de catasta.* V. hymn. I, 56.

(4) *Christus, paternae gloriae splendor.* V. S. Pavl. *Ad Hebraeos* I, 13; *ad Coloss.* I, 15.

(5) *mercis.* Merx est res ipsa quae emitur, vel extruditur. Hinc pro mercede, et pro retributione.

(6) *perpetis substantiae.* Perpes est de re integra et tota; unde iugis, perpetuus, ut vidimus in hymno Καθημ. XI, 111. Hic est immortalis.

Nec distat, ignis et fidiclae (1) saeviant,
An corpus aegrum languor asper torqueat,
Quum saepe morbos maior armet saevitas (2).
Non ungularum tanta vis latus fodit
Mucrone, quanto dira pulsat pleurisis.
Nec sit inusta laminis ardet cutis,
Ut febris atro felle venas exedit;
Vel summa pellis ignis obductus coquit,
Papulasque (3) fervor aestuosus excitat:
Credas cremari stridulis cauteribus.
Miserum putatis, quod retortis pendeo
Extentus ulnis, quod revelluntur pedes,
Compago nervis quod sonat crepantibus:
Sic eiulantes ossa clamant dividi,
Nodosa torquent quos podagra, et arthrisis. (4)
Horretis omnes hasce carnificum manus.
Num mitiores sunt manus medentium,
Laniena (5) quando saevit Hippocratica?

(1) *fidîclae* est sync. prudentiana pro fidiculae. (V. et 550). Fidiculae nomen deminutum a *fides fidium;* suntque fides funiculi, seu nervi; hinc pro parva cithara. Sed enim translate apud Christianos historicos intelliguntur nervi illi, seu funiculi, quibus arcte constringerentur ac torquerentur rei catholici nominis sive in aculeo, sive alio modo; neque tamen Isidoro (V. Orig. 27) adsentimur, qui *fidiculas* inde dictas esse contendit, « quod iis rei in aculeo torqueantur ut *fides* inveniatur. » Re enim vera SENECA (*De Ira,* III, 3) fidiculas ab aculeo aperte distinguit.

(2) *saevitas,* WEITZIVS et HEINSIVS. — Alii, omnibus Vaticc. consentientibus, *saevitia.*

(3) *papulas.* Papula est tuberculum, pustula in cute exstans. V. CELS. V. 28, N. 18. — *cauteribus.* De cauteribus Cfr. hymn. quintum, S. Vinc. 230.

(4) *Arthrisis*, idem quod *arthritis*, est articulorum morbus vulgatus, cuius sunt species *chiragra, podagra* et *ischias.*

(5) *Laniena Hippocratica.* Quando Hippocratis sectatores forficulis, scalpellis rectis aut recurvis, sericulis alioque id genus instrumento chirurgico e corporibus morbos depellunt, partes infectas, aut laceras secant uruntque.

Vivum secatur viscus (1), et recens cruor
Scalpella tinguit, dum putredo abraditur.
  Putate ferrum triste chirurgos meis
Inferre costis, quod secat salubriter.
Non est amarum, quo reformatur salus:
Videntur isti carpere artus tabidos,
Sed dant medelam rebus intus vividis.
  Quis nescit autem quanta corruptela sit
Contaminatae carnis ac solubilis?
Sordet tumescit, liquitur, foetet, dolet,
Inflatur ira, solvitur libidine:
Plerumque felle tincta livores trahit.
  Aurum regestum (2) nonne carni adquiritur?
Inlusa vestis, gemma, bombix, purpura,
In carnis usum mille quaeruntur dolis,
Luxus vorandi carnes arvinam fovet:
Carnis voluptas omne per nefas ruit.
  Medere, quaeso, carnifex tantis malis,
Concide, carpe fomitem peccaminum;
Fac, ut resecto debilis carnis situ,
Dolore ab omni mens supersit libera,
Ne gestet ultra quod tyrannus amputet.
  Nec terrearis turba circumstantium:
Hoc perdo solum, quod peribit omnibus,
Regi, clienti, pauperique, et diviti;
Sic vernularum, sic senatorum caro
Tabescit, imo quum sepulcro condita est.
  Iactura vilis mordet et damnum leve,
Si, quo carendum est, perdere extimescimus:

(1) *viscus* Viscus pro carne. V. Virg. *Aen.* VI, 253.

(2) *aurum regestum*, e terra effossum. — *vestis illusa*, V. hymn. S. Agnetis, adnot. ad v. 105.

Cur, quod necesse est, non voluntas occupat?
Natura (1) cur non vertit in rem gloriae?
Legale damnum (2) deputemus praemiis.

Sed, praemiorum forma quae sit fortibus
Videamus: illa nempe quae numquam perit.
Caelo refusus (3) subvolabit spiritus,
Dei parentis perfruetur lumine,
Regnante Christo stans in arce regia.

Quandoque caelum, ceu liber, plicabitur (4),
Cadet rotati solis in terram globus,
Sphaeram ruina menstrualem (5) destruet:
Deus superstes solus, et iusti simul
Cum sempiternis permanebunt angelis.

Contemne praesens utile, o prudens homo,
Quod terminandum, quod relinquendum est tibi:
Omitte corpus, rem sepulcri et funeris;
Tende ad futuram gloriam, perge ad Deum:
Agnosce qui sis; vince mundum et saeculum. » —

Vix dum elocutus martyr hanc peregerat
Orationem, quum furens interserit
Asclepiades: « — vertat ictum carnifex
In os loquentis, inque maxillas manum,
Sulcosque acutos et fidîclas (6) transferat.

(1) *natura non vertit*. Natura, scil. mors, non *vertit*, absol. et subandi *se*. V. VIRG. *Georg.* III, 365.

(2) *legale damnum*, poenam, mortem ipsam legibus comparatam inter praemia habeamus.

(3) *Caelo refusus spiritus*. Anima, quae e caelo duxit originem, eo refundetur, redibit

(4) *Caelum, ceu liber, plicabitur*. Haec ex Isaïa deprompsit poëta Cap. XXXIV, 4, ubi propheta orbis universi adumbrat ruinam.

(5) *sphaeram menstrualem*. Lunam scilicet.

(6) *fidiclas*. syn. pro fidiculas. V. supra, vers. 481.

Verbositatis ipse rumpatur locus,
Scaturientes perdat ut loquacitas
Sermonis auras, perforatis follibus (1),
Quibus sonandi nulla lex ponit modum :
Ipsa et loquentis verba torqueri volo. » —

Implet iubentis dicta lictor impius,
Charaxat (2) ambas ungulis scribentibus
Genas, cruentis et secat faciem notis :
Hirsuta barbis solvitur carptim cutis,
Et mentum adusque vultus omnis scinditur.

Martyr fluentem fatur inter sanguinem :
— « Grates tibi, o Praefecte, magnas debeo,
Quod multa pandens ora iam Christum loquor.
Artabat ampli nominis praeconium
Meatus unus, impar ad laudes Dei.

Rimas patentes invenit vox edita,
Multisque fusa rictibus reddit sonos
Hinc inde plures, et profatur undique
Christi Patrisque sempiternam gloriam.
Tot ecce laudant ora, quot sunt vulnera. » —

Tali rêpressus cognitor (3) constantia.
Cessare poenam praecipit; tunc sic ait :
— « Per solis ignem iuro, qui nostros dies
Reciprocatis (4) administrat circulis,
Cuius recursu lux (5) et annus ducitur,

(1) *perforatis follibus.* Genae, nobis loquentibus, in folliculorum morem inflantur.

(2) *Charaxat*, χαράσσει, graecum verb. latinis litteris descriptum.

(3) *cognitor.* Iudex.

(4) *reciprocatis circulis.* In se redeuntibus motibus diurnis et annuis. V. Virg. *Geor.* II, 402.

(5) *lux,* dies.

Ignes parandos iam tibi tristis rogi,
Qui fine digno corpus istud devorent (1),
Quod perseverans tam resistit nequiter
Sacris vetustis; nec dolorum spiculis
Victum fatiscit, fitque poenis fortius.
Quis hunc rigorem pectori iniecit stupor?
Mens obstinata est, corpus omne occalluit.
Tantus novelli dogmatis regnat furor:
Hic nempe vester Christus haud olim fuit,
Quem tu fateris ipse, suffixum cruci. » —
— « Haec illa Crux est omnium nostrûm salus,
Romanvs inquit: hominis haec redemptio est:
Scio incapacem te sacramenti, impie,
Non posse coecis sensibus mysterium
Haurire nostrum: nil diurnum nox capit. (2)
Tamen in tenebris proferam claram facem.
Sanus videbit: lippus oculos obteget (3).
Removete lumen, dicet insanabilis:
Iniuriosa est nil videnti claritas.
Audi, profane, quod gravatus oderis.
Regem perennem Rex perennis protulit,
In se manentem (4), nec minorem tempore,
Quia tempus illum non tenet: nam fons retro
Exordiorum est (5), et dierum, et temporum,
Ex Patre Christus: hoc Pater, quod Filius.

(1) *ignes parandos... devorent.* Sic. in Heinsian. mss. maioris ponderis et Vaticc., si unum exceperis, in quo ex Weitzio legitur *ignis parandus... devoret.*

(2) *nîl diurnum nox capit.* Etenim, uti habet S. Pavl. I, *ad Corinth.* II, 14, « Animalis homo non percipit ea quae sunt spiritus Dei. »

(3) *oculos obteget.* Heins. Plures tamen editt.; Nebriss. et Weitzivs, *ôclos* describentes, vim nomini sine causa fecerunt.

(4) *in se manentem.* Pater enim, uti docent rerum divinar. doctores, intra se Filium generat; cetera autem extra se creavit.

(5) *Fons retro exordiorum est*, quia ante omnia saecula est

Hic se videndum praestitit mortalibus:
Mortale corpus sumpsit immortalitas,
Ut, dum caducum (1) portat aeternus Deus,
Transire nostrum posset ad caelestia:
Homo est peremtus, et resurrexit Deus.

Congressa mors est membra gestanti Deo:
Dum nostra temptat (2), cessit immortalibus.
Stultum putatis hoc, sophistae saeculi;
Sed stulta mundi summus elegit Pater,
Ut stultus esset saeculi, prudens Dei.

Antiquitatem Romuli, et Mavortiam
Lupam renarras (3), primum et omen vulturum.
Si res novellas respuis, nil tam recens:
Vix mille fastis implet hanc aetatulam
Cursus dierum conditore ab augure.

Sexcenta possum regna pridem condita
Proferre toto in orbe, si sit otium,
Multo ante clara, quam capellam Gnossiam
Suxisse fertur Iuppiter, Martis pater;
Sed illa non sunt, haec et olim non erunt.

Crux ista Christi, quam novellam dicitis,
Nascente mundo, factus ut primum est homo,

(1) *Ut, dum caducum*, etc. Ad rem S. Avgvst. *De Civ. Dei*, XXI, 15: « Unicus enim natura Dei Filius, propter nos misericordia factus est filius hominis, ut nos, natura filii hominis, filii Dei per illum gratia fieremus. » — *caducum*, mortalem hominem.

(2) *Dum nostra temptat* ἀρχ. — Gisel. et multi alii *tentat*. Mors Christum despicatur carne nostra indutum, atque ut ceteros mortales adgreditur; sed tamen divinae eius virtuti postmodum concedere debuit.

(3) *Lupam*, quae Romulo lac suggendum dedit. — *omen vulturum*. V. Liv. , 7. — *Capellam Gnossiam*, quae Iovis nutrix fuit in Gnossia insula.

Expressa signis (1), expedita est litteris:
Adventus eius mille per miracula
Praenuntiatus ore vatum consono.

Reges, prophetae, iudices, et principes
Virtute, bellis, cultibus, sacris, stilo,
Non destiterunt formam pingere crucis:
Crux praenotata, crux adumbrata est prius
Crucem vetusta combiberunt saecula.

Tandem retectis vocibus propheticis,
Aetate nostra comprobata antiquitas,
Coram refulsit ore conspicabili (2),
Ne fluctuaret veritas dubia fide,
Si non pateret teste visu comminus.

Hinc nos et ipsum non perire credimus
Corpus, sepulcro quod vorandum traditur:
Quia Christus in se mortuum corpus Cruci
Secum excitatum vexit ad solium Patris,
Viamque cunctis ad resurgendum dedit.

Crux illa nostra est (3), nos patibulum adscendimus;
Nobis peremptus Christus, et nobis Deus,
Christus reversus, ipse qui moriens homo est:
Natura duplex, moritur (4) et mortem domat,
Reditque in illud quod perire nesciat.

(1) *expressa signis.* Iesus Christus vel ab ultima generis humani origine praesignificatus est. Hinc *ad Corinth.* S. Pavl. I, X, II: « omnia in figura contingebant illis. » — *expedita litteris*, in sacro Veteris Testamenti Volumine iam fuerat Crux praenuntiata.

(2) *ore conspicabili.* Assumpta humana natura, se mortalibus videndum praebuit.

(3) *Crux illa nostra est.* Nostrae est salutis caussa.

(4) *Natura duplex moritur*, intellige Christus Deus et homo θεάνθρωπος; non ut Deus tamen est passus, aut mortuus V. Hamartig. et Apoth.

Dixisse pauca sit satis, de mysticis
Nostrae salutis, deque processu spei (1).
Iam iam silebo: margarita spargere
Christi vetamur inter immundos sues,
Lutulenta sanctum ne terant animalia.
Sed, quia profunda non licet luctarier
Ratione tecum, consulamus proxima.
Interrogetur ipsa naturalium
Simplex sine arte sensuum sententia:
Fuci imperitus fac ut adsit arbiter.
Da septuennem circiter puerum (2), aut minus,
Qui sit favoris liber, et non oderit
Quemquam, nec ullum mentis in vitium cadat.
Periclitemur, quid recens infantia
Dicat sequendum, quid novus sapiat vigor. » —
Hanc ille sancti martyris vocem libens
Amplexus, unum de caterva infantium
Parvum, nec olim lacte depulsum, capi,
Captumque adesse praecipit. — « Quidvis roga,
Inquit, sequamur quod probarit pusio. » —
ROMANVS ardens experiri innoxiam
Lactentis oris indolem: — « filiole, ait,
Dic quid videtur esse verum et congruens,
Unum ne Christum colere, et in Christo Patrem,
An comprecari mille formarum deos? » —
Adrisit infans, nec moratus retulit: » —
Est quidquid illud, quod ferunt homines Deum,
Unum esse oportet, et quod uni, est unicum.
Quum Christus hoc sit, Christus est verus Deus.
Genera deorum multa nec pueri putant. » —

(1) *deq. processu spei*, quo scil. spes nostra tendat.

(2) *septuennem puerum*. Ex Actis et Martyrologiis eruimus hunc animosum puerum *Barulam* fuisse vocatum nomine. Attamen BARONIVS nos docet in Breviar. Toletano *Theodulum* fuisse appellatum.

Stupuit tyrannus, sub pudore fluctuans,
Nec vim decebat innocenti aetatulae
Inferre leges (1), nec loquenti talia
Furor sinebat efferatus parcere.
— « Quis auctor, inquit, vocis est huius tibi? » —

Respondit ille : — « mater, et matri Deus.
Illa ex parente Spiritu docta imbibit,
Quo me inter ipsa pasceret cunabula :
Ego, ut gemellis uberum de fontibus
Lac parvus hausi, Christum et hausi credere. » —

Ergo ipsa mater adsit, exclamat, cedo,
Asclepiades ; disciplinae et exitum
Tristem suae magistra spectet impia,
Male eruditi torqueatur funere
Infantis orba ; quemque corrupit, fleat.

Absit ministros vilis ut muliercula
Nostros fatiget : quantulus autem dolor (2)
Vexabit artus, mortis auxilio brevis?
Oculi parentis punientur acrius,
Quam si cruentae membra carpant ungulae. » —

Vix haec profatus, pusionem praecipit
Sublime tollant, et manu pulsent nates :
Mox et remota veste virgis verberent,
Tenerumque duris ictibus tergum secent,
Plus unde lactis quam cruoris defluat.

Quae cautis (3) illud perpeti spectaculum,
Quis ferre possit aeris aut ferri rigor?

(1) *inferre leges*, poenam legibus definitam.

(2) *quantulus... dolor*. Codd. Vaticc., Weitzivs et Rvinart. Contra ea Heins., duos manu exaratos codd. sequutus, excribit *quantulos... artus*. — Gisel. *tantulos... vexavit artus*. Priorem lectionem nemo aspernabitur.

(3) *Quae cautis*, pro *cautes*, ut ultimam breviaret.

Impacta quoties corpus attigerat salix (1),
Tenui rubebant sanguine uda vimina,
Quem plaga flêrat roscidis livoribus (2).

Ferunt minaces verberantium genas
Inlacrimasse, sponte demanantibus
Guttis per ora barbarûm frementia;
Scribas et ipsos, et coronam plebium,
Proceresque siccis non stetisse visibus.

At sola mater hisce lamentis caret,
Soli sereno frons renidet gaudio,
Stat impiorum corde pietas fortior,
Amore Christi, contumax doloribus:
Firmatque sensum mollis indulgentiae.

Sitire sese parvus exclamaverat:
Animae aestuantis ardor in cruciatibus
Hoc exigebat, lymphae ut haustum posceret:
Quem torva mater (3) eminus triste intuens,
Vultu et severis vocibus sic increpat:

(1) *salix*. In glossa unius Vatic.: « flagellum de salicibus »; estque syneed. pro virgis ad caedendum.

(2) *quem plaga flêrat*. Hic Giselinvs: « Lacrimantis in modum distillaverat: lepidissima est mehercule translatio. Summa enim cute perstricta stillat potius, quam effunditur confertim cruor. Alii *ferat* habebant; alii *fecerat*, utrique contra carminis leges. »

(3) *Quem torva mater*, etc. Sic omnes codd., et editt. Attamen magis Heinsio placet haec lectio, quam nobis unus praebet cod. Vatic., estque certe posteriori manu inducta:

« Quem torva mater eminus triste intuens,
Vultu et severis, etc. »

— *torva*, severitatem ostentans, et nescio quid minantis; sed in bonam identidem partem *torvus* sumitur; et nos Itali interpretaremur *fiero, altezzoso, grave*. V. Clavd. IV Consul. Honor. 517.

— « Puto imbecillo, nate, turbaris metu,
Et te doloris horror adflictum domat;
Non hanc meorum viscerum stirpem fore
Deo spopondi : non in hanc spem gloriae
Te procreavi, cedere ut leto scias.
Aquam bibendam postulas, quum sit tibi
Fons ille vivus praesto, qui semper fluit,
Et cuncta solus inrigat viventia,
Intus forisque spiritum et corpus simul,
Aeternitatem largiens potantibus.
Venies ad illud mox fluentum, si modo
Animo ac medullis solus ardor aestuet
Videre Christum: quod semel potum adfatim
Sic sedat omnem pectoris flagrantiam (1),
Vita ut beata iam sitire nesciat.
Hic, hic bibendus, nate, nunc tibi est calix,
Mille in Bethlehem quem biberunt parvuli:
Oblita lactis, et papillarum immemor
Aetas, amaris, mox deinde dulcibus
Refecta pôclis (2), mella sumsit sanguinis.
Exemplum ad istud nitere, o fortis puer,
Generosa proles, matris et potentia (3):
Omnes capaces esse virtutum Pater
Mandavit annos: neminem excepit diem (4),
Ipsis triumphos adnuens vagitibus.

(1) *Sic sedat omnem pectoris flagrantiam.* Cfr. Alligher. *Purg.* XXI, init.

(2) *pôclis*, sync. poculis. V. Καθημ. VI, 16.

— *mella sanguinis.....* suavissimos tormentorum fructus carpsit.

(3) *matris et potentia.* Parentum vis in filiis potissimum primum genitis elucet. V. *Genes.* XLIX, 3. In mentem revoca Virg. *Aen.* I, 664.

(4) *neminem diem.* Nemo (a ne, vel non, et homo) ad personam semper refertur, neque plurative usurpatur. Noster, usum fortasse sui temporis sequutus, ad *diem* adiungit pro eo quod est *nullum*.

Scis, saepe dixi, quum docenti adluderes,
Et garrulorum (1) signa verborum dares,
Isaac fuisse parvulum patri unicum,
Qui, quum immolandus aram et ensem cerneret,
Ultro sacranti (2) colla praebuerit seni?
Narravi et illud (3) nobile ac memorabile
Certamen, una matre quod septem editi
Gessere pueri, sed tamen factis viri:
Hortante eadem matre in ancipiti exitu
Poenae et coronae sanguini ut ne parcerent.
Videbat ipsos adparatus funerum
Praesens suorum, nec movebatur parens,
Laetata quoties aut olivo stridula
Sartago (4) frixum torruisset puberem,
Dira aut crepâsset laminarum impressio.
Comam cutemque verticis revulserat
A fronte tortor, nuda testa ut tegmine
Cervicem adusque dehonestaret caput.
Clamabat illa: patere! gemmis vestiet
Apicem hunc corona regio ex diademate.
Linguam tyrannus amputari iusserat
Uni ex ephebis. Mater aiebat: Satis
Iam parta nobis gloria est: pars optima
Deo immolatur ecce nostri corporis;
Digna est fidelis lingua quae sit hostia.

(1) *et garrulorum.* Aves sunt garrulae, et canendo strepunt. Transfertur vox ad homines in verba proiectos, quos, Gellianis verbis usi, possemus loquaculos et locutuleios dicere. Sed et pueri garrire consueverunt, quum ea, quae audiverunt, indistincte proferunt.

(2) *sacranti,* sacrificanti. V. et 912.

(3) *Narravi et illud*, etc. V. II, *Maccab.* VII.

(4) *sartago frixum*, etc. Mortis genus, quo primus ex septem Macchab. periit. — *crepâsset* (?) crepitum edidisset. Lectio est Heins. et Rvinart. ex codd. Vaticc. duobus; ceteri, et editt. *cremasset*

Interpres animi, enuntiatrix sensuum,
Cordis ministra, praeco operti pectoris,
Prima offeratur in sacramentum necis,
Et sit redemptrix prima membrorum omnium:
Ducem dicatam (1) mox sequentur cetera. » —
His Macchabaeos incitans stimulis parens,
Hostem subegit subiugatum septies, (2)
Quot feta natis, tot triumphis inclita:
Me partus unus ut feracem gloriae,
Mea vita, praestet, in tua est situm manu.
Per huius alvi fida conceptacula,
Per hospitalem mense bisquine larem (3);
Si dulce nostri pectoris nectar tibi,
Si molle gremium, grata si crepundia,
Persiste, et horum munerum auctorem adsere.
Quanam arte (4) nobis vivere intus coeperis,
Nihilumque et illud, unde corpus, nescio:
Novit animator solus et factor tui:
Impendere (5) ipsi, cuius ortus munere es:
Bene in datorem, quod dedit, refuderis. » —
Talia canente matre, iam laetus puer
Virga strepentes et dolorem verberum
Ridebat. Hic tum cognitor pronuntiat:
— « Claudatur infans carcere, et tanti mali
Romanvs auctor torqueatur acrius. » —

(1) *dicatam*, Deo consecratam, devotam.

(2) *Hostem..... subiug. septies.* Toties de Antiocho triumphavit mater illa, quoties filios ad martyrium hortata est.

(3) *per hospitalem larem* etc. per uterum maternum, quem decem menses habitasti. — *grata si crepundia.* De crepundiis in mentem revoca quae annotavimus in hymno S. Eulaliae, 19.

(4) *quanam arte.* Haec ex *Macchabaeor.* II, 7, mutuatus est poëta.

(5) *impendere.* Modus imperativ. pass. impendor, eris; aut infinitivus, activi impendo, is, et subauditur, te decet.

Illum recentes per cicatricum vias
Denuo exarabant, quaque acutum traxerant
Paullo ante ferrum, mox recrudescentibus
Plagis apertas persequebantur notas.
Quos iam superbus victor ignavos vocat.

— « O non virile robur, o molles manus!
Unam labantis dissipare tamdiu
Vos non potesse (1) fabricam corpusculi?
Vix iam cohaeret: nec tamen penitus cadit.
Vincens lacertos dexterarum inertium.

Citius cadaver dentibus carpunt canes,
Longeque morsus vulturum efficacior
Ad devorandas carnis offas mortuae.
Languetis imbelli fame, ac fatiscitis:
Gula est ferina, sed socors edacitas. » —

Exarsit istis turbida ira iudicis,
Seque in supremam concitat sententiam:
— « Si te morarum poenitet, finem citum
Subeas licebit: ignibus vorabere
Damnatus, et favilla iam tenuis fies. (2) » —

Abiens at ille, quum foro abriperent virum
Truces ministri, pone respectans ait:
— « Appello ab ista, perfide, ad Christum (3)

(1) *potesse*. ἀρχαϊκῶς pro posse plautinum et lucretianum est.

(2) *favilla iam tenuis fies*. Licenter primam in *fies* corripit, more suo, noster poëta, uti alias annotavi. V. Περὶ Στεφ. VI, 83; XIII, 59. — Vatic. unus *iam fumans eris*.

(3) *Appello... ad...* Dictio forensis, et adhibetur quum a dato iudice ad alium iudicem quis provocat. Quare ad imperatorem appellare est quod nos diceremus: *richiamarsene presso l'imperatore*. V. S. Pavl. *Act. App.* XXV, 11.

Crudelitate, non metu (1) mortis tremens, [meum
Sed ut probetur esse nîl (2), quod iudicas. » —
— « Quid differo, inquit ille, utrosque perdere,
Puerum ac magistrum, complices sectae im-
[piae (3)?
Gladius recidat vile vix hominis (4) caput
Infantis; istum flamma vindex concremet;
Sit his sub uno fine dispar exitus. » —
Perventum ad ipsum caedis implendae locum.
Natum gerebat mater amplexu et sinu,
Ut primitivum crederes fetum geri
Deo offerendum, sancti Abelis ferculo (5),
Lectum ex ovili puriorem ceteris.
Puerum poposcit carnifex; mater dedit,
Nec immorata est fletibus, tantum osculum
Impressit (6) unum. — « Vale! ait, dulcissime:
Et quum beatus regna Christi intraveris,
Memento matris, iam patrone (7) ex filio. » —

(1) *metu*. Rectius fortasse accusandi casum habent *metum* WIDMANVS, WEITZIANI codd., et unus Vatic. antiquissimus. — Sed *metu* plerique, cui adhaeret GISELINVS.

(2) *esse nîl*, vim nullam habere tuam sententiam, quod sine ulla causa me condemnes.

(3) *sectae impiae*. Sectae impiae addictos et exitiabiles Christianos per convicium ad iudices deferebant falsorum numinum cultores. V. TAC. *Ann.* XV, 44: et ARNOB. L. IV.

(4) *vix hominis*. Vetustiores Rom. moris habebant et infantes ephebos appellare homines adolescentulos, quod nondum ad iustam aetatem pervenissent. Sed poëta dictione omnino sua utitur: *vix hominis caput*.

(5) *Ferculo*, Proprie *ferculum* lanx est, sportula viminea aut fiscella, in qua edulia feruntur. Hic fiscina intelligitur, in qua Abelis munera Deo sacranda inessent.

(6) *unum*. HEINS. et RVINARD. — CELLAR. *udum*. Nos Priorem lect. potiorem habemus, quae nobis matrem praebet generosam et *torvam* omnem moram abrumpentem, uti filiolum iam martyrii corona insignitum cernat.

(7) *patrone* cas. voc. refer ad *dulcissime*.

Dixit: deinde dum ferit cerviculam
Percussor ense, docta mulier psallere,
Hymnum canebat carminis (1) Davidici:
Pretiosa sancti mors sub adspectu Dei;
Tuus ille servus, proles (2) ancillae tuae.
Talia retexens explicabat pallium,
Manusque tendebat sub ictu et sanguine,
Venarum ut undam profluam manantium,
Et palpitantis oris exciperet globum (3):
Excepit, et caro adplicavit pectori.
At parte campi ex altera, immanem pyram (4)
Texebat ustor fumidus pinu arida,
Sarmenta mixtim subdita et foeni struem
Spargens liquato rore ferventis picis,
Quo flamma pastu cresceret ferocius.
Et iam retortis brachiis furca (5) eminus
ROMANVS actus ingerebatur rogo:
— « Scio, inquit ille, non futurum ut concremer,
Nec passionis hoc genus datum est mihi;
Et restat ingens, quod fiat, miraculum. » —
Haec eius orsa sequitur immensus fragor
Nubis ruentis, nimbus undatim nigro
Praeceps aquarum flumine ignes obruit.
Alunt olivo semicombustas faces;
Sed vincit imber iam madentem fomitem.

(1) *carminis Davidici.* Hymnum canebat, qui in Vulgata est CXV.

(2) *proles.* Aliis *prolis.* De voce vide VINC. LANFRANCHII, *Lex. Poët. Totius Linguae Lat.* Augustae Taurinorum ex Officina Regia an. M.DCCC.XC.

(3) *oris... globum.* Caput detruncatum. Poëtice et verissime.

(4) *pyram...* Vide sis apud VIRG. *Aen.* VI, 215, et seqq. pyram illam, quam Teucri in litore struxerunt, ut Miseni corpus cremarent.

(5) *furca*, furcilla, seu fuscina reos agebant in ignem.

Trepidare teter carnifex rebus novis
Turbatus, et qua posset arte insistere,
Versare torres cum favillis humidis,
Prunas maniplis confovere stuppeis,
Et semen ignis inter undas quaerere.
Quod quum, tumenti nuntiatum iudici,
Movisset iram fellis implacabilis:
— « Quousque tandem summus hic nobis magus
Inludet, inquit, Thessalarum carmine (1),
Poenam peritus vertere in ludibrium?
Fortasse cervix, si secandam iussero
Flecti sub ensem, non patebit vulneri:
Vel amputatum plaga collum dividens
Rursus coibit ac reglutinabitur,
Humerisque vertex eminebit additus.
Tentemus igitur ante partem quampiam
Truncare ferro corporis superstitis,
Ne morte simpla (2) criminosus multiplex
Cadat, vel una perfidus caede oppetat:
Quot membra gestat, tot modis pereat volo.
Libet experiri, Lerna sicut traditur (3),
Utrum renatis pullulescat artubus,

(1) *Thessalar. carmine.* Heins. ex Ambrosianis membranis. — *Thessalorum* Codd. Vaticc., Weitzivs aliique. In Thessalia, ampla Macaedoniae regione, toxica aliaeque herbae venenatae proveniebant; hinc Thessali ob veneficia et incantationes male audierunt. Praesertim vero Thessalides sagae habitae sunt nobiles post Medaeam Aeetae Cholchidis regis filiam. Carmina Thessalica autem concepta verba erant, quae in malis suis artibus praecinerent infames illae feminae. Quas stomachatus in versibus suis exagitat Venvsinvs in *Lyricor.* I, ode 27; Epod. V, et VII. — *peritus vertere* ʽΕλληνισμός.

(2) *Simpla.* Simplus est quod duplo aut multiplo opponitur. Nos itali fecimus *scempio.*

(3) *Libet experiri* etc. Giselinvs ita interpretatur: « Placet experiri,, an parte aliqua truncata, alia sit renascitura; an

Ac se imminuti corporis damnis novum
Instauret; ipse praesto erit tunc Hercules,
Hydrina suetus ustum ire vulnera.
  Iam nunc secandi doctus adsit artifex,
Qui cuncta nôrit viscerum confinia,
Vel nexa nervis disparare vincula.
Dato hunc revulsis qui medetur ossibus,
Aut fracta nodis sarciens compaginat.
  Linguam priorem detrahat radicitus,
Quae corpore omni sola vivit nequior:
Illa et procaci pessima in nostros deos
Invecta motu, fas profanavit vetus (1),
Audax et ipsi non pepercit principi. » —
  Aristo quidam medicus accitus venit,
Proferre linguam praecipit: profert statim
Martyr retectam, pandit ima faucium.
Ille et palatum tractat, et digito, exitum
Vocis pererrans, vulneri explorat locum.
  Linguam deinde longe ab ore protrahens,
Scalpellum in usque guttur insertans agit.
Illo secante fila sensim singula,
Numquam momordit martyr, aut os dentibus
Compressit artis, nec cruorem sorbuit.
  Immotus et patente rictu constitit,
Dum sanguis extra defluit scaturiens:
Perfusa pulcher menta russo stemmate (2)
Fert, et cruenti pectoris spectat decus,
Fruiturque et ostro vestis ut iam regiae.

etiam hic per damna imminuti seu mutilati erroris se se iterum sit instauraturus; quomodo de excetra Lernaea commemoratur, cui uno capite abscisso, altera duo succrescebant. Quod etiams contingat, aderit tamen deus aliquis, qui cum conficiat, ut Hercules hydram. »

(1) *fas... vetus.* Veteres nostras religiones.

(2) *russo stemmate.* CELLARIVS hic: « *russum stemma* ru-

Ergo ratus praefectus elinguem virum
Cogi ad sacrandum posse, quum verbis carens
Nil in deorum blateraret (1) dedecus,
Iubet reduci iam tacentem et debilem
Multo loquentis turbine olim territus.
Reponit aras ad tribunal denuo,
Et tus, et ignem vividum in carbonibus,
Taurina et exta, vel suilla abdomina.
Ingressus ille, ut hos paratus perspicit,
Insufflat (2), ipsos ceu videret daemonas.
Inridet hoc Asclepiades laetior.
Addit deinde: — « Numquid inclementius,
Sicut solebas, es paratus dicere?
Effare quidvis, ac perora et dissere (3);
Permitto, vocem libere ut exerceas. » —
Romanvs alto corde suspirans diu,
Gemitu querelam traxit, et sic orsus est:
— « Christum loquenti lingua numquam defuit;
Nec verba quaeras quo regantur organo,
Quum praedicatur ipse verborum dator.
Qui fecit, ut vis vocis expressa intimo
Pulmone, et oris torta sub testudine (4),

beum sanguinem interpretarer, qui erat martyri pro quolibet stemmate, hoc est insigne generis et nobilitatis. »

(1) *blateraret.* Heins. et bene multi codd. mss. Alii tamen non pauci, nec iniuria, describunt: *oblatraret.*

(2) *insufflat.* Spiritu ex ore proflato reiicit, despuit, contemnit. Translata metaphora est a flatibus in daemonas, qui rite fiunt a Sacerdote dum ad Fontem Salutaris Aquae sacris operatur.

(3) *perora et dissere.* Vaticc. duo optimae notae, et Heinsiani.—*per ora edissere* Weitzivs, et Vaticani reliqui undeviginti.

(4) *oris sub testudine.* Sub cavitate oris, quae in ore testudinis instar est. — *dentium de pectine* transl. pro dentium de serie. Homervs hanc seriem vocat sepimentum, ἕρκος ὀδόντων *Iliad.* IV, 350; et *Odyss.* III, 23; quam phrasin Vinc. Montivs vertit: « *chiostra dei denti.* »

Nunc ex palato det repercussos sonos;
Nunc temperetur dentium de pectine.
Sitque his agendis lingua plectrum mobile (1).
Si mandet idem (2), faucium sic fistulas
Spirare flatu concinentes consono,
Ut verba in ipsis explicent meatibus,
Vel exitu oris cymbalis profarier (3),
Nunc pressa parce labra, nunc hiantia.
Dubitasne verti posse naturae statum,
Cui facta forma est, qualis esset primitus?
Hanc nempe factor vertere, ut libet, potest,
Positasque leges texere ac retexere.
Linguam loquela ne ministram postulet.
Vis scire nostri numinis potentiam?
Fluctus liquentis aequoris pressit pede:
Natura fluxa ac tenuis in solidum coit,
Quam dispar illis legibus, quîs condita est,
Solet natatus ferre, fert vestigia.
Habet usitatum munus hoc divinitas,
Quae vera nobis colitur in Christo et Patre,
Mutis loquelam, percitum claudis gradum,
Surdis fruendam reddere audientiam,
Donare caecis lucis insuetae diem.
Haec si quis amens fabulosa existimat,
Vel ipse tute si parum fidelia
Rebare pridem, vera cognoscas licet;

(1) *Sitque... lingua plectrum mobile:* Lingua namque nobis est tamquam plectrum mobile; eiusque ope verba modulamus in palati cavitate. V. Hor. II, Sat. 3, 274.

(2) *Si mandet idem*, etc. Haec eo valent, ut probent homines posse, vel lingua deminutos loqui, virtute divina fretos. — *Faucium fistulas* intellige faucium meatus; *oris cymbala*, labra in modum cymbali, quae vicem linguae fungantur.

(3) *profarier* παραγωγή.

Habes loquentem, cuius amputaveras
Linguam : probatis cede iam miraculis. » —
Horror stupentem persecutorem subit,
Timorque et ira pectus in caliginem
Vertère : nescit, vigilet anne somniet :
Miratur haerens, quod sit ostenti genus.
Formido frangit ; armat indignatio.
Nec vim domare mentis effrenae potest,
Nec quo furoris tela vertat invenit.
Postremo medicum saevus insontem iubet
Reum citari : nundinatum hunc arguit,
Mercede certa pactus ut conluderet :
Aut ferrum in ore nil agens et irritum (1)
Versasse frustra, seu retunsis actibus,
Aut arte quadam vulnus illatum breve,
Quod sauciata parte linguam laederet,
Nervos nec omnes usquequaque absciderct (2) :
Manere salvam vocis harmoniam probae,
Non posse inani concavo verba exprimi,
Quae concrepare ligula moderatrix (3) facit.
Esto, ut resultet spiritus vacuo specu,
Echo sed exstat (4) inde, non oratio.

(1) *Aut ferrum*, etc. Aut ferro chirurgico usum fuisse Aristonem, anatomes peritum, hebeti et obtuso, plane ut nihil omnino secuerit ; aut demum paucula tantum linguae vincula detruncasse, quae Romano non fuerint impedimento, quin loqueretur.

(2) *Abscideret*, codd. castigatiores ; CELLARIVS haud recte *abscinderet*.

(3) *ligula moderatrix*. Tres Vatice., et Heinsiani duo. — GISELINVS et editt. pleraeque *lingua*. Ceterum *lingula* aut *ligula* est nomen diminutum a *lingua*.

(4) *exstat* ; — plerique omnes *extat*. WEITZIVS *exit* contra codd. probatt., et ALDVM ROM.

Veris refutat medicus hanc calumniam :
— « Scrutare vel tu nunc latebras faucium,
Intraque dentes curiosum pollicem
Circumfer, haustus vel patentes (1) inspice,
Lateat ne quidquam, quod regat spiramina.
Quamquam forassem forte si puncto levi,
Tenuive linguam contigissem vulnere,
Titubante plectro fatus (2) esset debilis.
Nam, quum magistra vocis in vitium cadit,
Usus necesse est et loquendi (3) intercidat.
Fiat perîclum, si placet, cuiusmodi
Edat querelam quadrupes, lingua eruta,
Elinguis et quem porca grunnitum strepat,
Cui vox fragosa, clamor est inconditus :
Probabo mutam nîl sonare stridulum.
Testor salutem principis, me simplici
Functum secantis arte, iudex optime,
Servisse iussis absque fraude publicis.
Sciat hic quis illi verba suggillet (4) Deus ;
Ego, unde mutus sit disertus, nescio. » —

(1) *haustus patentes.* Canaliculi, qui nobis sunt usui dum cibum potumque haurimus.

(2) *fatus.* Fatus, us, a fando, loquela. V. 'Αποθ., 599. — Male autem *factus* in editt. Weitziana et Amstelodamensi an. MDCXXXI.

(3) *et loquendi.* Falsi sunt quotquot describunt *eloquendi;* aliud quippe est loquor, aliud eloquor.

(4) *verba sugillet* vel *suggillet.* De origine verbi *sugillare* alii alia. Proprie *sugillare* est ictu livorem in aliquam corporis partem inducere, illudque contundere, lividum reddere. Transl. valet occludere (V. Non. 11, 785), vel arctare e. gr. fauces, gulam, strangulare. Hoc sensu nonnulli cum Theolio, editore nostro Parmensi, aiunt usurpatam vocem *sugillet*, perinde quasi Prudentius diceret, chirurgiae doctorem nobilem illum Aristonem accitum linguam martiyri secuisse, eoque modo eum loquendo inhabilem reddidisse; sed enim, quisnam, ei nolenti gulam comprimendo

His sese Aristo purgat; at contra impium
Nil haec latronem Christianorum movent.
Magis magisque fertur in vesaniam :
Quaerit alienus sanguis ille (1) adsperserit
Virum, suo ne fluxerit de vulnere.
Respondit his ROMANVS : — « Eccum, praesto
[sum :
Meus iste sanguis verus est, non bubulus ;
Agnoscis illum (2), quem loquor, miserrime
Pagane, vestri sanguinem sacrum bovis,
Cuius litata caede (3) permadescitis?
Summus sacerdos (4) nempe, sub terram scrobe
Acta, in profundum consecrandus mergitur,
Mire infulatus (5), festa vittis tempora

vel arctando, verba quoque extorqueat cum lingua chirurgum ipsum prorsus nescire. Ipse tamen cum Forcellinio crediderim poëtam verbo usum fuisse *suggillet* pro *suggerat*, quod est a *sub* et *gero*, ansamque praebuit italico verbo *suggerire.*

(1) *alienus sanguis ille*, omnes codd. HEINSS., et Vatic. unus perantiquus. — Editt. multae *Alienus sanguis illum.*

(2) *agnoscis illum*, sanguinem bubulinum.

(3) *litata caede,* cuius bovis litati sanguine estis respersi.

(4) *Summus sacerdos*... Non imperator Augustus, sed Pontifex alius qui praeesset ordini sacerdotum. Hic vero de taurorum sacrificio est sermo, qui in sacris deorum Matris mactarentur, quodque *taurobolium* dicebatur. De hoc sacro plura scripsit ANTON. DALENIVS in *Dissertat. de Tauroboliis.* Anno vero MDCCV inscriptio effossa est Lugduni in colle, cui nomen *Fourrvieres*, ubi nunc templum insigne B. Virgini Mariae excitatum invisitur magna mortalium frequentia. In istiusmodi inscriptione taurobolium memoratur factum, imperante Antonino Pio, anno christiano CLX; eamque adire licet in Montfauconii Antiq. T. II. Cfr. et GRAEVIVM *Thesaur. Antiq.* T. VI, P. IV, v. 7; ubi nempe de *Taurobolio* luculenta est Dissert. Philippi a Turre, Adriae pontificis.

(5) *Mire infulatus.* Codd. Weitziani maioris mom., et Vaticani. — HEINSIVS vult *mitra infulatus*, etsi pontifices mitra redimitos nusquam legimus, quae muliebre ornamentum proprie erat. V. Καθημ., IX, 5.

Nectens. corona tum repexus aurea,
Cinctu Gabino (1) sericam fultus togam.

Tabulis superne strata texunt pulpita,
Rimosa rari pegmatis compagibus,
Scindunt subinde vel terebrant aream,
Crebroque lignum perforant acumine,
Pateat minutis ut frequens hiatibus.

Huc taurus ingens, fronte torva et hispida,
Sertis revinctus aut per armos floreis,
Aut impeditis cornibus, deducitur:
Nec non et auro frons coruscat hostiae,
Setasque fulgor bractealis inficit.

Hic, ut statuta est immolanda bellua,
Pectus sacrata dividunt venabula:
Eructat amplum vulnus undam sanguinis
Ferventis, inque texta pontis subditi
Fundit vaporum flumen (2), et late aestuat.

Tum per frequentes mille rimarum vias
Inlapsus imber (3), tabidum rorem pluit,
Defossus intus quem sacerdos excipit.
Guttas ad omnes turpe subiectans caput,
Et veste et omne putefactus corpore.

Quin os supinat, obvias offert genas,
Supponit aures, labra, nares obiicit,
Oculos et ipsos perluit liquoribus;
Nec iam palato parcit, et linguam rigat,
Donec cruorem totus atrum combibat.

(1) *cinctu Gabino.* Serv. *ad Aen.* VII, 612, haec notat de cinctu Gabino: « Cinctus ex toga sic in tergum reiecta, ut ima eius lacinia a tergo reiecta, hominem cingeret. » V. Norisivm *Cenot. Pisan. Dissert.* III, 637.

(2) *Flumen vaporum.* Sanguinis calidi in vaporem elabentis.

(3) *inlapsus imber,* influens pluvia decidentis sanguinis.

Postquam cadaver sanguine egesto rigens,
Compage ab illa flamines retraxerint,
Procedit inde pontifex, visu horridus,
Ostentat udum verticem, barbam gravem,
Vittas madentes, atque amictus ebrios (1).
Hunc inquinatum talibus contagiis,
Tabo recentis sordidum piaculi,
Omnes salutant atque adorant eminus,
Vilis quod illum sanguis et bos mortuus
Foedis latentem sub cavernis laverint.
Addamus illam, vis, hecatomben tuam?
Centena ferro quum cadunt animalia,
Variaque abundans caede restagnat cruor,
Vix ut cruentis augures natatibus
Possint meare per profundum sanguinis.
Sed quid macellum (2) pingue pulvinarium,
Quid maximorum lancinatores gregum,
Eviscerata carne crudos criminor?
Sunt sacra, quando vosmet ipsi exciditis (3),
Votivus et quum membra detruncat dolor.
Cultrum in lacertos exserit fanaticus,
Sectisque Matrem brachiis placat deam,
Furere ac rotari ius putatur mysticum:
Parca ad secandum dextra fertur impia,
Caelum meretur vulnerum crudelitas.

(1) *amictus ebrios,* sanguine madentes.

(2) *macellum.* Hoc nomine Romani locum septum designabant, ubi pecora mactarentur, variique generis obsonia venum prostarent. Contemptim vocat poëta macellum templorum vestibula ob pecorum sacrificia, ipsosque sacerdotes *lancinatores*, qui carnes et exta victimarum in partes secta inter se partiebantur.

(3) *vosmet ipsi exciditis.* De scellerata hac mares evirandi arte, quam iam memoravit Moyses in Deuteron. XXXIII, 1, vide sis Mazochivm, *Spicil. Bibl.* T, 11, p. 8.

Ast hic metenda dedicat genitalia,
Numen reciso mitigans ab inguine:
Offert pudendum semivir donum deae:
Illam, revulsa masculini germinis
Vena, effluenti pascit auctam sanguine.
Uterque sexus sanctitati displicet,
Medium retentat inter alternum genus:
Mas esse cessat ille, nec fit femina.
Felix deorum Mater imberbes sibi
Parat ministros laenibus novaculis.
Quid, quum sacrandus (1) accipit sphragitidas?
Acus minutas ingerunt fornacibus:
His membra pergunt urere, ut igniverint:
Quamcumque partem corporis fervens nota
Stigmàrit, hanc sic consecratam praedicant.
Functum deinde quum reliquit spiritus,
Et ad sepulcrum pompa fertur funeris,
Partes per ipsas imprimuntur bracteae;
Insignis auri lamina obducit cutem,
Tegitur metallo, quod perustum est ignibus.
Has ferre poenas cogitur gentilitas:
Hac dii coërcent lege (2) cultores suos:

(1) *sacrandus accipit sphragitidas.* Sacerdos Gallus, de quo supra v. 1059. Istiusmodi sacerdotes contendunt nonnulli ab hebraea voce גלל *secare, abscindere* esse dictos. Cfr. Mazochivm in *Spic. Bibl.* supra memorato, Tom. II., p. 114. — *Sphragitidas.* Veteribus superstitionibus dediti certa quaedam sigua ad honorem numinis, cui initiarentur, corpori suo inurebant; quae signa ut in cute permanerent, ferro acuminato et ignito cum atramento aut stibio ingeniose depingere moris habebant. Istiusmodi autem notae, seu σφραγῖδες ad hunc modum in corporis cute impressae, a Venusino, nisi fallor, *victura in cute puncta* appellantur. Recentiores Galli dicerent *tatouages.*

(2) *Hac dii coërcent lege.* Sacra haec turpia et crudelia a diis ipsis imperata fuisse ostendit S. Avgvst. in suis *De Civ. Dei* Libris.

Sic daemon ipso ludit hos, quos ceperit,
Docet exsecrandas ferre contumelias,
Tormenta inuri mandat infelicibus.
  At noster iste sanguis ex vestra fluit
Crudelitate: vos tyrannide impia
Exulceratis innocentum corpora.
Si vos sinatis, incruente vivimus;
At si cruente puniamur, vincimus.
  Sed iam silebo: finis instat debitus,
Finis malorum, passionis gloria:
Iam non licebit, improbe, ut licuit modo,
Torquere nostra vel secare viscera;
Cedas necesse est victus et iam desinas.
  Cessabit equidem tortor et sector dehinc. » —
Iudex minatur: — « sed peremptoris manus
Succedet illis strangulatrix faucium;
Aliter silere nescit oris garruli
Vox inquieta, quam tubam si fregero. » —
  Dixit, foroque protrahi iussit virum,
Trudi in tenebras noxialis (1) carceris:
Elidit illic fune collum martyris
Lictor nefandus. Sic peracta est passio;
Anima absoluta vinculis caelum petit.
  Gesta intimasse (2) cuncta fertur Principi
Praefectus, addens ordinem voluminum,
Seriemque tantae digerens tragoediae (3).

(1) *Noxialis carceris.* Vocem *noxialis* vidimus supra 114.

(2) *gesta intimasse fertur.* Dicitur Asclepiades res gestas detulisse ad principem, certioremque eum fecisse de omnibus, quae in martyrio Romani evenerant. — *intimare*, verbum est ad sequiorem latinitatem pertinens, et respondet italico *riferire*, seu *informare esattamente.*

(3) *Seriemque tantae dirigens tragoediae.* Dolendum equidem nostrates poëtas, post renatas litteras graecis exemplaribus unice defixos, nulla argumenta, dum fabulas tragicas docerent e

Laetatus omne crimen in fasces refert (1)
Suum tyrannus chartulis vivacibus.
  Illas sed aetas conficit diutina;
Fuligo fuscat, pulvis obducit situ,
Carpit senectus, aut ruinis obruit:
Inscripta Christo pagina immortalis est,
Nec obsolescit ullus in caelis apex.
  Excepit adstans Angelus coram Deo,
Et quae locutus martyr, et quae pertulit;
Nec verba solum disserentis condidit,
Sed ipsa pingens vulnera expressit stilo,
Laterum, genarum, pectorisque, et faucium.
  Omnis notata est sanguinis dimensio,
Ut quamque plagam sulcus exaraverit,
Altam, patentem, proximam, longam, brevem:

Regestis Actisque Martyrum in rem suam derivasse. Atqui Prudentius noster in suis Περὶ Στεφανῶν carminibus conspicuum facit, nudulas illas ieiunasque narrationes de Christianis martyrio affectis, quas ad imperatores praefecti diligenter deferrent, uberem tragico scriptori segetem suppeditare posse. Sive enim acusatorum ingenium et mores spectes, sive quaesitorum vafritiem et profundam carnificum crudelitatem, sive virile pectus innocentissimorum civium contempleris, qui ex omni aetate, ordine, sexu ad iudices delati, veritatis libertatisque humanae iura libero ore tuerentur, proque religione omnium sanctissima ad cruciatus exquisitos mortemque ipsam, veluti ad voluptarium convivium convolarent, omnia haec nova, inquam, inaudita, sublimia, τραγικώτατα tibi in istiusmodi narrationibus occurrent. Adde notarios suis in Actis exarandis, omni orationis ornatu tamquam veste detracto, lectori scenas saepe integras, aliud veluti agendo, proponere ad miserationem compositas; adde velitationes illas tyrannum inter et reum de rebus divinis et philosophicis obortas; dialogosque prorsus natura fluentes, quae tantummodo stilum artificem et versuum armoniam opperiuntur germani alicuius poëtae Melpomenis spiritu afflati.

(1) *in fasces refert*, nempe in annales Consulum, quorum fasces essent insignia. Plerique omnes recipiunt *fasces;* Cavchio tamen, levi coniectura ducto, placet *fastos* legere.

Quae vis doloris, quive segmenti modus,
Guttam cruoris ille nullam perdidit.

Hic in regestis (1) est liber caelestibus,
Monumenta servans laudis indelebilis,
Relegendus olim sempiterno iudici:
Libramine aequo qui malorum pondera,
Et praemiorum comparabit copias.

Vellem, sinister inter haedorum greges,
Ut sum futurus (2), eminus dinoscerer;
Atque, hoc precante, diceret Rex optimus:
ROMANVS orat; transfer huc haedum (3) mihi:
Sit dexter agnus, induatur vellere.

(1) *in regestis.* Regesta, orum (a regero, transcribo) multas res complectuntur in unum collectas et narratas, plane ut unum volumen perpetuum iustumque conficiant. Ex hac voce nos itali confecimus *i Registri*.

(2) *Ut sum futurus* Haec animo prorsus demissiore Prudentium scripsisse existimato, benigne lector, non quod re vera crederet poëta fore, ut in novissimo illo generis humani iudicio inter reos aeternae poenae censeretur, sed quod ipse propter admissa tale infortunium se commeruisse sentiret.

(3) *transfer huc haedum.* V. quae dicuntur in MATTH. XXV, 33. HEINS. ex *Cod. Rottendorph.* ita ediderat; sed postmodum in suis *Addendis* praetulit *hunc haedum*.

HYMNVS XI

PASSIO HIPPOLYTI MARTYRIS

AD VALERIANVM EPISCOPVM

Quum Romam poëta repetivisset, Valeriano Caesaraugustanorum pontifici narrat se Urbis cryptas cupidius invisisse; ibique inter innumeros martyrum loculos, relliquias nactum esse S. Hippolyti splendide conditas. Qui Novati erroribus eiuratis, ad Catholicam doctrinam redierat, infandoque martyrio vitam honestaverat. Martyrum constantiam, oblata sibi occasione, nos docet Prudentius; et quae de Hippolyti cruciatibus refert elegis affabre factis, ait se prope sancti viri sepulcrum in pariete aquatis coloribus omnia graphice depicta perspexisse. Hymnum finit die festo commemorato, S. Martyris, qui maximo incolarum et alienigenarum celebritate idibus augustis colitur.

Innumeros cineres Sanctorum Romula in urbe
　Vidimus, o Christi Valeriane sacer (1).
Incisos tumulis titulos, et singula quaeris
　Nomina? difficile est ut replicare (2) queam.
Tantos iustorum (3) populos furor impius hausit,
　Quum coleret patrios Troïa Roma deos.

(1) *Valeriane sacer.* Valerius, seu Valerianus, cui hymnum inscribit poëta. Caesaraugustanorum episcopus est ille, qui anno CCCLXXXI concilio interfuit Caesaraugustae habito contra Priscillianistas, qui Hispanias fere omnes foedaverant.

(2) *replicare,* pro explicare, evolvere V. Tvll. 1, *De Divin.* 56. Sed et pro animo repetere et renarrare est in Apul., in Pacato Drepanio, et Hieronymo.

(3) *tantos iustor. populorum.* Haec eos velim relegere, qui paucos omnino Romae fecisse martyrium contendunt. V. Περὶ Στεφ. hymn. II, 512. — *patrios deos*, Penates, aliosque deos, quos Aeneas in Italiam secum intulerat.

Plurima litterulis signata sepulcra loquuntur
Martyris aut nomen, aut epigramma aliquod.
Sunt et muta tamen tacitas claudentia tumbas (1)
Marmora, quae solum significant numerum (2).
Quanta virûm iaceant congestis corpora acervis
Nosse licet, quorum nomina nulla legas.
Sexaginta illic, defossas mole sub una,
Reliquias memini me didicisse hominum,
Quorum solus habet comperta vocabula Christus,
Utpote quos propriae iunxit amicitiae.
Haec dum lustro oculis, et sicubi forte latentes
Rerum apices (3), veterum per monumenta sequor,
Invenio Hippolytvm, qui quondam schisma Novati
Presbyter attigerat, nostra sequenda negans.
Usque ad Martyrii provectum insigne, tulisse
Lucida sanguinei praemia supplicii.
Nec mirere senem, perversi dogmatis olim,
Munere ditatum catholicae fidei.
Quum iam vesano victor raperetur ab hoste,
Exsultante anima carnis ad exitium,

(1) *tumbas.* Tumba, vox senescentis latinitatis. In Gloss. Philox. τόμβα, et τόμβος.

(2) *quae solum significant numerum.* Ennivs Qvirinvs Vicecomes (*Visconti, Memorie Romane d'Antichità, Roma*, 1825) ut, habita multitudinis martyrum ratione Dodwello eiusque sectatoribus occurreret, qui perpaucos omnino Romae martyrium fecisse docent, nonnullas inscriptiones in medium profert notatione dignas, e quibus has tres descripsi:

— MARCELLA ET CHRISTI MARTYRES CCCCCL. —
— HIC REQVIESCIT MEDICVS CVM PLVRIBVS. —
— LX. MARTYRES CHRISTI. —

Neque illa omittenda, quam ad Traiani, mitissimi ingenii imperatoris, tempus referunt:

— N. XXX. SVRRA ET SENEC. COSS. —

(3) *rerum apices.* Apices in Avlo Gellio sunt litterar. ductus (*Noct. Attic.* XVII, 9; XIII, 30); et per synecd. pro qualibet scriptura. apud Sidon. aliosque eius aequales.

Plebis amore suae multis comitantibus (1) ibat:
Consultus quaenam secta foret melior,
Respondit: « — fugite, o miseri, exsecranda Novati (2)
Schismata, catholicis reddite vos populis.
Una fides vigeat, prisco quae condita templo est:
Quam Paulus retinet, quamque cathedra Petri.
Quae docui, docuisse piget: venerabile Martyr (3)
Cerno, quod a cultu rebar abesse Dei. » —
His ubi detorsit laevo de tramite plebem,
Monstravitque sequi, qua via dextra vocat,
Seque ducem recti, spretis anfractibus (4), idem
Praebuit, erroris qui prius auctor erat.
Sistitur insano rectori, Christicolas tunc
Ostia vexanti per Tiberina (5) viros.
Illo namque die Roma secesserat, ipsos
Peste suburbanos ut quateret populos.
Non contentus humum celsa intra moenia Romae
Tinguere iustorum caedibus assiduis:
Ianiculum quum iam madidum, fora, Rostra, Su-
[burram (6)
Cerneret eluvie sanguinis adfluere,

(1) *multis comitantibus.* VIRG. *Aen.* III, 346.

(2) *Schisma Novati.* Novatus aequalis S. Cypriani fuit, et magister erroris illius, quo statuitur Christianos, quamvis poenitentia tactos, ad germanae catholicae doctrinae veritatem redeuntes, venia indignos esse. Is Romam quum venisset Cornelio Pont. Max. negotium grave dedit, uti narrant rerum Christianar. scriptores.

(3) *Venerabile martyr.* THEODOR. RVINART. *et venerabile martyr.* Editt. plurimae missam faciunt copulativam *et.*

(4) *anfractibus*, viis in diversas partes pertinentibus, quae in se recurrant. Transl.

(5) *Ostia per Tiberina,* qua Tiberis in mare profluit. Urbs ibi Ostia ab Anco Martio condita.

(6) *Ianiculum, fora* etc., partes urbis praecipuas sanguine martyrum redundantes, quas magister peritus discipulis suis enucleabit.

Protulerat rabiem Tyrrheni ad litoris oram,
Quaeque loca aequoreus proxima portus habet.
Inter carnifices, et constipata sedebat
Officia, exstructo celsior in solio.
Discipulos fidei, detestandique rebelles
Idolii, ardebat dedere perfidiae (1).
Carcereo crinita situ stare agmina (2) contra
Iusserat, horrendis excrucianda modis.
Inde catenarum tractus, hinc lorea flagra (3)
Stridere, virgarum concrepitare fragor.
Ungula fixa cavis costarum cratibus altos
Pandere secessus, et lacerare iecur.
Ac iam lassatis iudex tortoribus ibat
In furias, cassa cognitione fremens.
Nullus enim Christi ex famulis per tanta repertus
Supplicia, auderet qui vitiare animam.
Inde furens quaesitor ait: — « iam, tortor, ab uno
Desine; si vana est quaestio (4), morte agito.
Huic abside caput, crux istum tollat in auras,
Viventesque oculos offerat alitibus.
Hos rape praecipites, et vinctos coniice in ignem;
Sit pyra quae multos devoret una reos.
En tibi quos properes rimosae imponere cumbae (5):
Pellere et in medii stagna profunda freti:
Quos ubi susceptos rapidum (6) male suta per aequor
Vexerit, et tumidis caesa labarit aquis;

(1) *ardebat dedere perfidiae.* A Christo scil., cui se dederant, desciscere avebant, et ad deor. cultum redire.

(2) *agmina crinita.* V. Περὶ Στεφ. hymn. I, 80.

(3) *lorea flagra.* V. Περὶ Στεφ. hymn. X, 117.

(4) *Quaestio...* Si per tormenta eum adigere nequeamus, uti fateatur se a catholica doctrina recedere, tu *morte agito,* rem expedi extremo supplicio, morte eum plectito.

(5) *cumbae.* V. Περὶ Στεφ hymn. S. Vinc. 450.

(6) *rapidum.* Codd. maioris mom. et Aldvs. Qui *rabidum*

Dissociata putrem laxent tabulata carinam,
  Conceptumque bibant undique naufragium.
Squamea coenoso praestabit ventre sepulcrum
  Bellua, consumptis cruda cadaveribus. » —
Haec persultanti, celsum subito ante tribunal
  Offertur senior nexibus implicitus.
Stipati circum iuvenes clamore ferebant,
  Ipsum Christicolis esse caput populis.
Si foret exstinctum propere caput, omnia vulgi
  Pectora Romanis sponte sacranda deis.
Insolitum leti poscunt genus, et nova poenae
  Inventa, exemplo quo trepident alii.
Ille supinata residens cervice : — « Quis, inquit,
  Dicitur ? » — adfirmant, dicier (1) HIPPOLYTVM.
« — Ergo sit HIPPOLYTVS : quatiat, turbetque iugales,
  Intereatque feris dilaceratus equis. » —
Vix haec ille : duo cogunt animalia, freni
  Ignara insueto subdere colla iugo :
Non stabulis, blandive manu palpata magistri,
  Imperiumque equitis ante subacta pati ;
Sed campestre vago nuper pecus e grege captum,
  Quod pavor indomito corde ferinus agit.
Iamque reluctantes sociarant vincula bigas,
  Oraque discordi foedere nexuerant.
Temonis vice funis inest, qui terga duorum
  Dividit, et medius tangit utrumque latus.

cum VEITZIO praeferunt Giphanium in medium nobis ponunt, qui in adnotatt. ad Laurentium *rabidum* pro *rapidum* legendum esse contendit!

(1) dicier. παραγωγή.

— *Sit Hippolytus.* Graece Ἱππόλυτος (ab equis dissolutus) Thesei et Hippolytae Amazonis filius, curru invectus ad mare, ab exterritis equis discerptus dicitur in historia fabulari. Vide OVID. *Met.* XV, 497 et seqq.

Deque iugo in longum se post vestigia retro
  Protendens trahitur, transit et ima pedum.
Huius ad extremum, sequitur qua pulvere summo
  Cornipedum refugas orbita trita vias (1),
Crura viri innectit laqueus, nodoque tenaci
  Adstringit plantas, cumque rudente ligat.
Postquam composito satis instruxere paratu
  Martyris ad poenam, verbera, vincla, feros (2),
Instigant subitis clamoribus atque flagellis,
  Iliaque infestis perfodiunt stimulis.
Ultima vox audita senis venerabilis haec est : » —
  Hi rapiant artus, tu rape, Christe, animam ». —
Prorumpunt alacres (3), caeco et terrore feruntur,
  Qua sonus atque tremor, qua furor exagitant.
Incendit feritas, rapit impetus, et fragor urguet,
  Nec cursus volucer mobile sentit onus.
Per silvas, per saxa ruunt, non ripa retardat
  Fluminis, aut torrens oppositus cohibet.
Prosternunt saepes, et cuncta obstacula rumpunt,
  Prona, fragosa petunt, ardua transiliunt.
Scissa minutatim labefacto corpore frusta
  Carpit spinigeris stirpibus hirtus ager.
Pars summis pendet scopulis, pars sentibus haeret,
  Parte rubent frondes, parte madescit humus.
Exemplar sceleris paries habet inlitus, in quo
  Multicolor fucus digerit omne nefas.

(1) *refugas orbita... vias*, in diversas partes tendentes.

(2) *feros*. Vaticc. praestantiores, Heinsivs et Weitzivs. — *feras* nonnullae editt. et Rvinart. Ceterum masc. aut femin. genere indiscriminatim usurpatur haec vox adiect. pro quavis bestia quadantenus indomita. V. Virg. de equo (*Aen.* 11, 51); de cervo id. (*ibi* vII, 489); de leone Phaedr. (I, 21), de bobus Ovid. (*Met.* I, 550).

(3) *Prorumpunt alacres.* Vide sis Sen. tragoediam, cui titulus: *Hippolytus* Act. IV scena Iª.

Picta super tumulum species liquidis viget umbris (1),
Effigians tracti membra cruenta viri.
Rorantes saxorum apices vidi, optime papa (2),
Purpureasque notas vepribus impositas.
Docta manus virides imitando effingere dumos,
Luserat (3) e minio russeolam saniem.
Cernere erat, ruptis compagibus ordine nullo
Membra per incertos sparsa iacere situs.
Addiderat caros, gressu lacrimisque sequentes,
Devia qua fractum semita monstrat iter.
Moerore attoniti, atque oculis rimantibus ibant;
Implebantque sinus visceribus laceris.
Ille caput niveum complectitur, ac reverendam
Canitiem molli confovet in gremio;
Hic humeros truncasque manus, et brachia et ulnas,
Et genua, et crurum fragmina nuda legit.
Palliolis (4) etiam bibulae siccantur arenae,
Ne quis in infecto pulvere ros maneat.
Si quis et in sudibus (5) recalenti adspergine sanguis
Insidet, hunc omnem spongia pressa rapit.

(1) *liquidis umbris.* Ea ratione umbras pictor in pariete dispertitus est, ut digna conspici liquido eminerent et in oculos incurrerent.

(2) *optime papa.* Quo sensu haec vox fuerit usurpata V. Vinc. Lanfranchii *Lex. Poët. Totius Linguae Latinae.* ex Offic. Regia Augustae Taurinor. an. m.dccc.xc.

(3) *luserat e minio.* Callidus artifex, veluti ludens, minio usus, graphice effinxerat vepres dumosque sanguine inspersa. Ludere quippe ad amoeniores artes transfertur, quae, nobis illudentes oblectamento sunt; ut e. gr. pictura, scalptura, poësis, musices, etc. V. quae ad v. 105 hymni XIV Περὶ Στεφ. annotavimus; et carmen XII Περὶ Στεφ. in honorem Beator. App. Petri et Pauli, v. 48.

(4) *Palliolis.* Palliolis et spongiis martyrum sanguinem Christiani ebibebant religiose, quae in sepulcris et vasculis repperiri auctor est Boldettvs, *Osservaz. Sopra i Cimiteri*, L. I, C. XXXI et seqq. pag. 149.

(5) *in sudibus.* Transl. sudes pro loco spinis conferto. Noster Ἀποθ. 143 pro spinis ipsis praeacutis vocem usurpat translate.

Nec iam densa sacro quidquam de corpore silva
Obtinet, aut plenis fraudat ab exequiis.
Quumque recensitis constaret partibus ille,
Corporis integri qui fuerat numerus:
Nec purgata (1) aliquid deberent avia toto
Ex homine, extersis frondibus et scopulis.
Metando (2) eligitur tumulo locus: Ostia linquunt:
Roma placet, sanctos quae teneat cineres.
Haud procul extremo culta ad pomeria vallo
Mersa latebrosis crypta (3) patet foveis:
Huius in occultum gradibus via prona reflexis
Ire per anfractus luce latente docet.
Primas namque fores summo tenus intrat hiatu
Illustratque dies limina vestibuli.
Inde, ubi progressu facili nigrescere visa est
Nox obscura, loci per specus ambiguum,
Occurrunt caesis immissa foramina tectis,
Quae iaciant claros antra super radios.
Quamlibet ancipites texant hinc inde recessus,
Arta (4) sub umbrosis atria porticibus;
Attamen excisi subter cava viscera montis
Crebra terebrato fornice lux penetrat.

(1) *nec purgata.* Quanta sollicitudine et relligione martyrum relliquias et sanguinem ipsum prisci Christiani rimarentur, et locis aptis occulerent, vide. benigne lector, apud Boldettvm, quem supra dixi, Aringhivm, Lvpivm; praeterea Muratorivm, Fabrettvm, Marangonvm, et Nicolavm Wisemanvm, patrem Purpuratum, qui in veteribus Christianor. monumentis colligendis illustrandisque curam diligentiamque omnem impenderunt.

(2) *metando.* Meto, as; et metor, aris; aut metior, metiris est alicuius rei magnitudinem explorare, modum ei definire, dimetiri. Exquirendo et dimetiendo locum capiunt, in quo martyris relliquias rite condant.

(3) *mersa latebrosis.* Cryptam Veraniam in via Tiburtina. V. Mamach. *Orig. et Antiquitat. Christian.* T. III, p. 160.

(4) *arta.* Artare et artus, extrita *c* est ἀρχαϊκῶς. sed placet eruditis. Cfr. Prisc. L. VI; et Cellar. *Orthogr.* Giselin. habet *arcta.* Vide et ad vers. 228.

Sic datur absentis per subterranea solis
  Cernere fulgorem, luminibusque frui.
Talibus Hippolyti corpus mandatur opertis
  Propter ubi adposita est ara dicata Deo.
Illa Sacramenti donatrix mensa, eademque
  Custos fida sui Martyris adposita.
Servat ad aeterni spem iudicis ossa sepulcro:
  Pascit item sanctis Tibricolas dapibus (1).
Mira loci pietas, et promta precantibus ara
  Spes hominum placida prosperitate iuvat.
Hic corruptelis animique et corporis aeger
  Oravi quoties stratus, opem merui.
Quod laetor reditu, quod te, venerande sacerdos,
  Complecti licitum est, scribo quod haec eadem,
Hippolyto scio me debere, Deus cui Christus
  Posse dedit, quod huis postulet, adnuere.
Ipsa, illas animae exuvias, quae continet intus,
  Aedicula argento fulgurat ex solido.
Praefixit tabulas dives manus aequore levi (2),
  Candentes, recavum quale nitet speculum.
Nec Pariis contenta aditus obducere saxis (3),
  Addidit ornando clara talenta operi.
Maue salutatum concurritur: omnis adorat
  Pubis (4); eunt, redeunt, solis ad usque obitum.
Conglobat in cuneum Latios simul ac peregrinos
  Permixtim populos religionis amor.

(1) *sanctis dapibus.* Sacra in martyrum tumulis facta fuisse, deque hoc altari Christianos Sancta libasse *(essersi sacramentalmente comunicati)* satis compertum habemus.

(2) *tabulas aequore levi.* Marmoreas aut argenteas laminas complanatas, perpolitas, pellucidas.

(3) *Pariis saxis*, marmoro e Paro, insula Aegei maris advecto.

(4) *pubis* pro *pubes.* V. Κατεμ. hymn. V, 69; et VII, 162.

Oscula perspicuo figunt impressa metallo (1),
Balsama defundunt, fletibus ora rigant.
Iam quum se renovat decursis mensibus annus,
Natalemque diem passio (2) festa refert;
Quanta putas studiis certantibus agmina cogi,
Quaeve celebrando vota coïre Deo?
Urbs augusta suos vomit (3) effundique Quirites
Una et patricios ambitione pari.
Confundit plebeia phalanx umbonibus aequis (4)
Discrimen procerum, praecipitante fide.
Nec minus Albanis (5) acies se candida portis
Explicat, et longis ducitur ordinibus.
Exsultant fremitus variarum hinc inde viarum,
Indigena, et Picens (6), plebs et Etrusca venit.
Concurrit Samnitis (7) atrox habitator, et altae
Campanus Capuae, iamque Nolanus adest.
Quisque sua laetus cum coniuge, dulcibus et cum
Pignoribus, rapidum carpere gestit iter.
Vix capiunt patuli populorum gaudia campi,
Haeret et in magnis densa cohors spatiis.
Angustum tantis illud specus esse catervis
Haud dubium est, ampla fauce licet pateat.

(1) *perspicuo metallo*, marmoribus et aere ornatum sepulcrum, ut usquequaque perspici posset.

(2) *natalemque diem passio*. Quid dies natalis, et passio martyris significent. V. Περὶ Στεφ. 1, init.

(3) *vomit*. V. Virg. *Georg*. 11, 462.

(4) *umbonibus aequis*. Turba tunicati popelli, et una primi ordinis cives, quin togam ita componerent, ut umbonem efficeret solemnem, festinantes pietatis studio oratum conveniunt acervatim.

(5) *Albanis... portis*. Albani cives Romam confluunt.

(6) *Picens*. Picentes, qui in ora maris Tyrreni incolunt.

(7) *Samnitis atrox habitator*. Sub. agri. Noster *Contra Symm* II, 515, Samnitem asperum appellat.

Stat sed iuxta aliud, quod tanta frequentia templum
Tunc adeat, cultu nobile regifico,
Parietibus celsum sublimibus, atque superba
Maiestate potens, muneribusque opulens.
Ordo columnarum geminus laquearia tecti
Sustinet, auratis suppositus trabibus.
Adduntur graciles tecto breviore recessus,
Qui laterum seriem iugiter exsinuent (1).
At medios aperit tractus via latior alti
Culminis, exsurgens editiore apice.
Fronte sub adversa gradibus sublime tribunal (2)
Tollitur, antistes praedicat unde Deum.
Plena laborantes aegre domus accipit undas (3),
Artaque (4) confertis aestuat in foribus,
Maternum pandens gremium, quo condat alumnos,
Ac foveat fetos accumulata sinus.
Si bene commemini colit hunc pulcherrima Roma
Idibus Augusti mensis (5), ut ipsa vocat.

(1) *exsinuent.* Codd. et Editt. — In uno aut altero Vatic. *extenuent*, si glossema pro germana lectione accipias.

(2) *Sublime tribunal.* Suggestum, seu exedra, unde Pontifices ad populum sacram concionem haberent. Poterit quispiam ntelligere summum altaris gradum, unde, teste Binghamo (*Rer. Liturgicar.* I, c. 20) episcopi verba olim ad populum facerent. — *Antistes praedicat....* Hunc poëtae locum Ant. Pagivs et Qvesnellivs denotant, uti Sozomenio contradicant contendenti, aetate sua Romae nullum sacerdotem ad Christianos concionatum esse. Miror tamen Henricum Valesium (*In Sozom.* L. VII, c. 19) refragari Pagio et Quesnellio, supra memoratis, quum Ivstinvs nos aperte doceat in sua *Apologia*, episcopos post Apostolorum aut Prophetarum lectionem orationem quamdam habere solitos fuisse.

(3) *Undas.* Transl. Nos diceremus: *una gran folla di gente* (V. Virg. *Georg. II*, 461 et *Sil. Ital.* IV, 158).

(4) *artaque.* Giselin. *arctaque*, uti iam vidimus ad vers. 164.

(5) *idibus Augusti.* Nos: *a dì 13 di Agosto.*

Prisco more diem, quem te quoque, sancte ma-[gister, (1)
Annua festa inter dinumerare velim.
Crede, salutigeros feret hic venerantibus ortus,
Lucis honoratae praemia restituens.
Inter solemnes Cypriani, vel Chelidoni,
Eulaliaeque dies currat et iste tibi.
Sic te (2) pro populo, cuius tibi credita vita est,
Orantem Christus audiat omnipotens.
Sic tibi de pleno lupus excludatur ovili,
Agna nec ulla tuum capta gregem minuat.
Sic me, gramineo remanentem denique campo,
Sedulus aegrotam pastor ovem referas.
Sic, quum lacteolis caulas compleveris agnis,
Raptus et ipse sacro sis comes HIPPOLYTO.

(1) *Sancte magister.* Valeriane.

(2) *Sic te pro populo.* In glossa unius Vatic. sic legitur: « Adiuvantis est; id est, si hoc feceris, tunc te Christus audiet ».

HYMNVS XII

PASSIO BEATORVM APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI

Romanos omnibus laetitiis laetos ob diem festum Beatorum Apostolorum poëta ait se vidisse; et Petri Paulique martyrio breviter narrato, quorum alter capite in terram converso cruci adfixus, alter, Neronis iussu, ense obtruncatus est, addit eorum relliquias Tiberis aquis secerni, duorum martyrum sanguine nobilitati. Ad dextram fluminis ripam locum indicat propter lacusculum olearum nemore inumbratum, quo in loco Petri ossa rite quiescerent; ad sinistram per viam Triumphalem atque Ostiensem lectorem perducit, ubi monumentum S. Pauli conspiceretur mira arte extructum. Hispanos autem suos Prudentius non vult ignorare utrorumque Apostolorum diem festum reparari III calendas iulias, quo die ab uno eodemque sacerdote quotannis in honorem duorum martyrum sacrum duplex perageretur.

— « Plus solito coëunt ad gaudia : dic, amice, quid sit (1):
Romam per omnem cursitant, ovantque. » —
— « Festus Apostolici nobis redit hic dies triumphi,
PAVLI, atque PETRI nobilis cruore (2).
Unus utrumque dies, pleno tamen innovatus anno,
Vidit superba morte laureatum.

(1) *Quid sit... cursitant.* Ita omnes mss. Suspicatur HEINSIVS fortasse hic legendum *quid sic...;* quae tamen lectio equidem ab intellectu non repugnat. — *Ovantque*, transl., laetitia efferuntur, exultant.

(2) *dies... nobilis cruore.* Recte *cruore,* quia, uti cecinit ALIGHERIVS (*Purg.* IX, 100), cruor est re vera: *sangue che fuor di vena spicci*

Scit Tiberina palus (1), flumine quae lambitur propinquo,
Binis dicatum cespitem tropaeis (2).
Et crucis, et gladii testis, quibus inrigans easdem
Bis fluxit imber sanguinis per herbas.
Prima PETRVM (3) rapuit sententia legibus Neronis,
Pendere iussum praeminente ligno.
Ille tamen veritus celsae decus aemulando mortis
Ambire tanti gloriam Magistri,
Exigit, ut pedibus mersum caput imprimant supinis,
Quo spectet imum stipitem cerebro.
Figitur ergo manus subter, sola (4) versus in cacumen:
Hoc mente maior, quo minor figura.
Noverat ex humili caelum citius solere adiri;
Deiecit ora (5), spiritum daturus.

(1) *Scit Tiberina palus, flumine quae lambitur*, HEINSIVS edidit *labitur;* sed priorem lect. in bene multis mss. repperiri fatetur. Quae nam fuerit palus istiusmodi utrorumque App. sanguine respersa disputant critici.

(2) *Binis dicatum caespitem tropaeis.* Caespes ex Festo est terra in lateris modum caesa cum herba; et vel a Romanis vetustioribus adhibebatur in aris extruendis, tumulisque contegendis. Hoc sensu PRVD. Περὶ Στεφ. V, 50; et X, 187. Caespite autem duo tropaea, seu sepulcra, exornabantur ad honorem SS. Petri et Pauli. De binis hisce tropaeis haec ait CAIVS ROMANVS apud Eusebium L. II, C. XXV: « Ego vero Apostólorum (Petri et Pauli) tropaea possum ostendere; nam sive in Vaticanum, sive ad Ostiensem viam pergere libet, occurrent tibi tropaea eorum, qui Ecclesiam illam (Romanam) aedificaverunt. »

(3) *Prima Petrum.* Nero iussit Petrum primum cruci affigi; sed hic ne gloriam Redemptoris et magistri sui videretur ambire, impetravit ut capite in terram spectante impenderetur.

(4) *sola* est plurativus numerus vocis *solum soli*, quod interdum pedum vestigium significat; unde nos itali fecimus *suola.* V. Περὶ Στεφ. VII, 65; XIV, 116, 'Αποθ. 766. In plur. num. usurparunt Lucr. II, 592, et Catull. LXIII 7.

(5) *deiecit ora* omnes ferme editt. In Amsteled. an. MDCXXXI *defecit.* Apage!

Ut teres orbis iter flexi rota percucurrit anni,
  Diemque eumdem sol reduxit ortus;
Evomit in iugulum PAVLI Nero fervidum furorem,
  Iubet feriri gentium magistrum.
Ipse prius sibimet finem cito dixerat futurum:
  Ad Christum eundum est (1), iam resolvor, inquit.
Nec mora: protrahitur, poenae datur, immolatur ense,
  Non hora vatem, non dies fefellit.
Dividit ossa duûm Tibris, sacer ex utraque ripa
  Inter sacrata dum fluit sepulcra.
Dextra (2) PETRVM regio tectis tenet aureis receptum,
  Canens oliva (3), murmurans fluento.
Namque supercilio saxi liquor ortus excitavit
  Fontem perennem (4) chrismatis feracem.
Nunc pretiosa ruit per marmora (5), lubricatque clivum,
  Donec virenti fluctuet colymbo (6).
Interior tumuli pars est; ubi lapsibus sonoris
  Stagnum nivali (7) volvitur profundo.

(1) *Ad Christum eundum*. V. S. PAVL. *Ad Timoth*. II, 6, 4.

(2) *dextra*. Petrum in Vatic. monte esse conditum firmissimis argumentis probat STEPHANVS BORGIA in opere: *Vaticana Confessio B. Petri*. Romae an. MDCCLXXVI.

(3) *canens oliva*, ad rivulum candentibus oleis septum et murmurantem. — Tres Vaticc. et WEITZ. *olivo*, et rectius.

(4) *fontem perennem*. omnes fere. Glossator unius Vatic. notat *fontem* idem esse ac *baptisterium*; de quo V. hymn. VIII, init. — HEINS., duo tresve codd. mss. secutus, legit *frondem*. Sed *fontem* praetulerim, qui proxime erumpens ferax est *chrismatis* propter olivetum ab aquula iugiter irrigatum.

(5) *ruit per marmora*. BARON. ad an. CCCLXXX, putat Prudentium hic fontem illum innuere, quem S. Damasus P. M. in Vaticano monte instauravit, quo Christiani commodius uterentur. V. ipsius S. Damasi Carmen XXXVI.

(6) *Colymbo*. Graece κόλυμβος est labrum, piscina, seu natatio. — *virenti*, oleis circum virentibus consito. Toto caelo errant qui *corymbo* describunt.

(7) marmore nivibus candidiore

Omnicolor vitreas pictura superne tinguit undas,
Musci relucent (1), et virescit aurum:
Cyaneusque latex (2) umbram trahit imminentis ostri;
Credas moveri fluctibus lacunar.
Pastor oves alit (3) ipse illic gelidi rigore fontis,
Videt sitire quas fluenta Christi.
Parte alia titulum Pavli (4) via servat Ostiensis,
Qua stringit amnis cespitem sinistrum.
Regia pompa loci est (5): princeps bonus (6) has sacravit arces;

(1) *Musci relucent.* In uno cod. Vatic., haec glossa legitur: « viriditates relucent ex laminis aureis, quae sunt affixae laquearibus; haeque vicissim viridem herbarum colorem reddunt. »

(2) *Cyaneusque latex.* En quomodo locum, paraphrasi usus sua, liberius explanet Steph. Chamillardvs: « Aquae caeruleae trahunt colorem ostri desuper picti in camera, et laquear camerae fluctuum motibus agitari videtur. »

(3) *Pastor.* Ex sententia Isonii pastor est S. Petrus; sed nihil vetat quominus epitheton ad eius successores referamus, qui universum Christiani nominis gregem fontibus pabulisque salubribus doctrinae sanctae reficiunt.

(4) *titulum Pauli.* Cellarivs inscriptionem interpretatur *titulum;* nosque hoc sensu accepimus vocem in hymno S. Vinc. v. 392. Sed hic ad templum Paulianum videtur poëta spectare. Aedes namque Deo, B. M. Virgini, Beatisque Caelitibus sacras *titulos* interdum vocari docent Bellarminvs (*De Cultu Sanct.* III, 4); Card. Bona (*Rer. Liturgicar.* I); Binghamvs (*Orig. Eccles.* T. III, I, 8, c. 1); Steph. Morcellivs (*De stylo Inscript.* L.I II, § 4, p. 512, c. 2) et Card. Nicolavs Wisemanvs, (*Fabiola, o la Chiesa delle Catacombe*, Parte II, c. 2; *et alibi).* — *via Ostiensis,* quae a porta Ostiensi (nunc *porta S. Paolo fuor delle mura)* ad Ostiam perducit urbem, ab Anco Martio conditam, qua Tiberis in mare influit.

(5) *regia pompa.* Templum excitatum regio splendore insigne: *Regis opus* diceremus cum Venvsino poëta (*Ep. ad Pis.* 20). Pompa tamen hoc sensu ad deteriorem latinitatem spectat, uti *pomposus* et *pompose* apud Sidonium Apollinarem, aliosque.

(6) *Princeps bonus.* Constantinus memoratur prima basilicae Paulianae fundamenta iecisse. V. Ciampinivm, *De Sacris Aedi-*

Lusitque (1) magnis ambitum talentis.
Bracteolas trabibus sublevit (2), ut omnis aurulenta
Lux esset intus, ceu iubar sub ortu.
Subdidit et Parias fulvis laquearibus columnas (3),
Distinguit illic quas quaternus ordo.
Tum camuros hyalo insigni varie cucurrit arcus (4):
Sic prata vernis floribus renident.
Ecce duas fidei summo Patre conferente dotes,
Urbi colendas quas dedit togatae.

fic. C. V, p. 109. Sed tamen ad Theodosium Seniorem, eiusque filium Honorium respexisse Prudentium alii hic putant, de quibus imperatoribus duos versus in medium proferunt antiquissimos, qui leguntur apud GRVTERVM, et MABILLONVM (*Iter Ital.* p. 51) in hunc modum compositi:

> Theudosius coepit, perfecit Honorius aulam
> Doctoris mundi sacratam corpore Pauli.

(1) *lusitque ambitum.* Circuitum omni artificio exornavit. De verbo *lūdere* Cfr. hymn. XI, ad vers. 130.

(2) *sublevit.* Ita tres Vaticc.: quorum tamen duo tamquam glossam habent *substravit.* Hinc adparet huius templi laqueare non auro solum fuisse illitum, sed etiam solidis auri laminis substratum. Notandum vero *bracteolas sublevit trabibus* per hyppallagen esse dictum, pro eo quod est *sublevit trabes bracteolis.*

(3) *subdidit columnas.* Vel hac nostra aetate tota basilicae moles quaterno columnarum seu striatarum seu rotundarum ordine sustentatur.

(4) *camuros arcus.* Camurum dicitur quidquid introrsum convertitur. V. VIRG. *Georg.* III, 155, ubi de camuris bobus loquitur. Noster *arcus camuros* nominat, ut indicet eos columnis esse impositos, seu cameram templi efficere. — *hyalo.* Hyalus graece ὕαλος vitrum indicat seu cristallum; quod, si aliquanto crassius sit, viridem colorem praesefert. Vocem usurparunt praesertim. VIRG. *Georg.* IV, 334; et AVSON. in *Edyll.* X, 418, ubi peplum nominat *virentem hyalo.* Qui cupiat cognoscere quanam ratione hoc vitro hyalino uterentur architecti in templis christianis exornandis BINGHAMVM adeat *De Orig. Eccles.* T. III, L. 8, c. 8.

Adspice, per bifidas plebs romula funditur plateas (1),
Lux (2) in duobus fervet una festis.
Nos ad utrumque tamen gressu properemus incitato,
Et his et illis perfruamur hymnis,
Ibimus ulterius qua fert via pontis Hadriani (3)
Levam deinde fluminis petemus.
Transtiberina prius solvit sacra pervigil sacerdos,
Mox huc recurrit, duplicatque vota (4).
Haec didicisse sat est Romae tibi: tu domum reversus,
Diem bifestum (5) sic colas, memento. » —

(1) *per bifidas... plateas*, per latiores vias Ostiensem scilicet et Triumphalem.

(2) *lux in duobus.* Tunc temporis uno eodemque die utriusque Apostoli festum agebatur; etenim S. Pauli solemne peculiare *(La Commemorazione di S. Paolo)*, auctore Micrologo, aliquanto post pridie Calendas Iulias S. Gregorius Magnus constituit.

(3) *Pontis Hadriani.* Olim hic pons dictus Aelius, hodie *Ponte Sant'Angelo*, apud Hadrianam molem, per quem ex urbe ad Vaticanum est iter.

(4) *duplicatque vota.* Sacrum nempe iterum ab uno eodemque sacerdote die festo Beator. Apostolor. Petri ac Pauli factum. Vide de hac re Cardin. IOAN. BONAM, *Rerum Liturgicarum*, L. I, c. 18.

(5) *diem bifestum.* Nos: *doppiamente festivo;* et videtur vox atina *bifestus* a Prudentio instaurata.

HYMNVS XIII

PASSIO B. CYPRIANI MARTYRIS EPISCOPI CARTHAGINIENSIS

Poëta initium sumit a B. Cypriani doctrina atque eloquentia, quibus nomen decusque immortale non in Africa tantum, sed per omnes occidentis populos sibi fecit. Ad Carthaginiensium pontificatum evectum, officii sui partes implevisse demonstrat, plane ut ceteris in exemplum illuxerit. Properanter eius martyrium excurrit: et in exitu carminis scripta Africani episcopi praeclara denuo laudibus cumulat. Versus archilochius est, scilicet tetrametro bucolico et tribus trochaeis constans, totusque ad gravitatem compositus.

Punica terra tulit, quo (1) splendeat omne quidquid [usquam est,
Inde domo (2) CYPRIANVM, sed decus orbis et magistrum.
Est proprius patriae martyr, sed amore et ore noster.
Incubat in Libya sanguis (3); sed ubique lingua pollet:

(1) *Punica terra, quo* etc. S. PAVLINVS NOL. in *Natal.* XI, v. 141 et seqq. haec habet:

« Et Carthago potens Cypriano martyre floret,
» Cuius et ore simul profusi et sanguine fontes
« Foecundaverunt Lybiae sitientis arenas. »

(2) *Inde domo.* Domus per syneed. est patria. VIRG. *Aen.* VIII, 114: « *Qui genus? Unde domo?* » Quamquam non e punica terra nonnulli contendunt ortum habuisse, in quibus eruditi MAVRINI coenobitae in *Vita Cypriani.*

(3) *incubat.* etc. Martyris exuviae, dum haec caneret poëta, domi magna cum religione asservabantur; sed post barbarorum in Africam impressiones neglectae incultaeque diu iacuerunt. Caroli Magni legati ea loca peragrantes, Cypriani relliquias detectas ab Aārone Persarum rege impetraverunt; quae Arelatem primum, deinde Lugdunum sunt inlatae; tandem vero, Carolo imperatore, cui nomen fuit *Calvo* uti narrat Ado Viennensis Martyrologi Vulgat., in Coenobio palatino, ad Isaram fl. Compendii (hodie *Compiegne*) extructo, penes Vindelices, quievere.

Sola superstes agit de corpore, sola obire nescit.
Dum genus esse hominum Christus sinet, et vigere [mundum,
Dum liber ullus erit (1); dum scrinia sacra litterarum,
Te leget omnis amans Christum; tua, Cypriane, discet
Spiritus ille Dei, qui fluxerat auctor in Prophetas,
Fontibus eloquii te caelitus (2) actus inrigavit.
O nive candidius linguae genus! O novum saporem!
Ut liquor ambrosius cor mitigat, imbuit palatum,
Sedem animae penetrat, mentem fovet, pererrat artus,
Sic Deus interius sentitur, et inditur medullis.
Unde bonum subitum terris dederis, Pater, revela.
Deerat Apostolicis scriptis opulentus exsecutor (3):
Eligitur locuples facundia, quae doceret orbem,
Quaeque voluminibus Pauli famulata disputaret,
Quo mage cruda hominum praecordia perpolita nossent,
Sive timoris opus, seu mystica vel profunda Christi. (4)

(1) *Dum liber ullus erit.* Multa de S. Cypriani doctrina et scriptis habent Lactantius, Augustinus, Hieronymus et Cassiodorus. — V. et *Paulii Manutii* patris Praefationem in D. Caecilii Cypriani opera ad Card. Carol. Borromaeum; Ticini, apud Andream Vianum M.D.LXXXIX, p. 106. Ex recentioribus autem Franciscus *de Sagnilac de Lamotte* Fenelonvs in ea pernobili Epistola quae inscribitur: « *Lettre écrite à l'Academie Françoise sur l'Eloquence*, etc. IV » magnum animum vimque prorsus demosthenicam ait Cyprianum ostendisse, sive scriberet, sive ad populum verba faceret ».

(2) *Caelitus actus,* de caelo demissus. De adverbio *caelitus* V. Καθημ. XII, 79; Ψυχομ. 65.

(3) *exsecutor,* e re iudiciali vox ducta est, eumque hic designat, qui graece diceretur ἐξηγήτης sive explanator, interpres, quique tamquam magister aliis aliquid interpretatur; non tamen qui Evangelii praecepta usu sua facit, uti haud recte docet Chamillardvs.

(4) *Sive timoris opus, seu mystica* etc. Intellige: sive explanaret Veteris Testamenti scripta ad Israelitas spectantia, qui ut plurimum veluti servi cum timore agebantur; seu interpretaretur *mystica et profunda Christi*, quae in Novi Testamenti libro continentur.

Unus erat iuvenum doctissimus (1) artibus sinistris,
Fraude pudicitiam perfringere, nil sacrum putare:
Saepe etiam magicum cantamen inire per sepulcra,
Quo geniale tori ius solveret, aestuante nupta.
Luxuriae rabiem tantae cohibet repente Christus,
Discutit et tenebras de pectore, pellit et furorem,
Implet amore sui, dat credere, dat pudere facti.
Iamque figura alia est, quam quae fuit, oris et nitoris:
Exuitur tenui vultus cute, transit in severam:
Deflua caesaries compescitur ad breves capillos (2).
Ipse modesta loqui, spem quaerere, regulam tenere,
Vivere iustitiam Christi (3), penetrare dogma nostrum.
His igitur meritis dignissimus usque episcopale
Provehitur solium doctor, capit et sedile summum.
Valerianus opum Princeps erat, atque Gallienus;
Constituêre simul poenam capitis Deum fatenti.

(1) *Unus erat iuvenum doctissimus.* Quae a versu 21 sequuntur videntur non ad Cyprianum Cartaginiensem, sed re vera ad Cyprianum Antiochenum, cognomento *Magum* referri. Quod mirandum non est. Prudentius enim, qui versus hos de scripto faceret, non autem martyris sepulcrum vidisset, in eundem errorem incidit, quo capti sunt S. Gregorius Nazianzenus, Metaphrastes, aliique, quos memorat Caes. Baronius ad *Martyrolog.* XVIII cal. octobres.

(2) *Deflua caesaries.* Qui militiae sacrae in occidente nomen darent, moris erat ut comam promissam tonsori statim caedendam committerent; e contrario alumnis sacri ordinis et sacerdotibus barbam promittere olim licebat. Hinc Sidonius maximum Sacerdotem describens in L. I Epist. xxiv ait: « coma brevis, barba promissa. . » Vide sis Binghamum *Orig. Eccles.* L. VI, c. 4.

(3) *Vivere iustitiam.* Dictio significans, pro eo quod est, vivendo iustitiam exprimunt, vitam agunt ad iustitiae normam. Iuvenalis, *Sat.* II, 3, de Romanis genio suo plus aequo indulgentibus, dum morum severitatem ostentarent, ait: « Qui Curios simulant et Bacchanalia vivunt. » — Giselinus legit *iustitia*; alii *iustitiae.* Perverse id quidem. Nos Heinsium sequimur, qui plures codd. mss. vidit, praesertim Vaticanos potiores.

Millia terrigenum (1) spurcissima iusserant sacrari.
Contra animos populi doctor Cyprianvs incitabat;
Ne quis ab egregiae virtutis honore discreparet,
Neu fidei pretium quis sumere degener timeret,
Esse levem cruciatum (2), si modo conferas futura,
Quae Deus ipse viris intermina fortibus spopondit:
Merce doloris emi spem luminis et diem perennem,
Omne malum volucri cum tempore transvolare cursim:
Nîl grave, quod peragi finis facit, et quiete donat.
Se fore principium pulchrae necis, et ducem cruoris (3),
Seque gladio caput submittere, sanguinem dicare:
Qui sociare animam Christo velit, ut comes sequatur.
His ubi corda virûm Christo calefacta praeparavit,
Ducitur ante alios, Proconsule perfurente, vinctus.
Antra latent Tyriae Carthaginis altius reposta,
Conscia Tartareae caliginis, abdicata soli:
Clausus in his specubus sanctus Cyprianvs, et catena
Nexus utraque manu, nomen Patris invocat supremi:
— « Omnipotens genitor Christi Deus, et creator orbis,
Christe parens hominis, quem diligis et vetas perire (4),
Ille ego, vipereis quem tu bonus oblitum venenis,
Criminibus variis tinctum, miseratus abluisti,
Iamque tuus fieri mandas, fio Cyprianvs alter (5);

(1) *terrigenum. Terrigena, ae,* appositum diis tributum, qui in terris ab hominibus facti, terrestribus cupiditatibus obnoxii sunt. — *sacrari*, divinis honoribus et sacrificiis placari soliti.

(2) *Esse levem cruciatum* etc. « Existimo enim quod non sunt condignae passiones huius temporis ad futuram gloriam, quae revelabitur in nobis. » S. Pavlvs *ad Roman.* IX, 18.

(3) *se fore principium* etc., scil. martyrii.

(4) *Quem diligis et vetas perire.* V. Ep. II S. Petri Apost. III, 9.

(5) *fio Cyprianus alter.* Alius ac fueram, antequam mea crimina ablueres. Licenter noster, more suo, primam in *fio* corripit. ut vidimus VI, 83; X, 811; et annotabimus Contra Symm. I, 223

Et novus ex veteri, nec iam reus aut nocens, ut [ante.
Si luteum facili charismate pectus expiasti (1),
Viso libens tenebris ergastula caeca dissipatis;
Eripe corporeo de carcere, vinculisque mundi
Hanc animam: liceat fuso tibi sanguine immolari,
Ne qua ferum reprimat clementia iudicem, tyranni
Neu sciat invidia (2) mitescere, gloriam negare.
Da quoque, ne quis iners sit de grege, quem tuum [regebam,
Ne cadat impatiens poenae, titubetve quis tuorum;
Incolumem ut numerum reddam tibi, debitumque [solvam. » —
Vocibus his Dominum permoverat; influebat inde (3)
Spiritus in populum Carthaginis, auctor acrioris
Ingenii, stimulis ut pectora subditis calerent
Ad decus egregium discrimine sanguinis petendum;
Non trepidare docens, nec cedere, nec dolore vinci,
Laudis amore rapi, Christum sapere, et fidem tueri.
Fama refert, foveam campi in medio patere iussam,
Calce vaporifera summos prope margines refertam:
Saxa recocta vomunt ignem, niveusque pulvis ardet,
Urere tacta potens, et mortifer ex odore flatus.

(1) *Si luteum.* Coniunctio *si* hic eleganter confirmandi vim habet; et valet: siquidem, quia, quandoquidem etc. V. *Virg. Georg.* I, 7. Itali quoque poëtae hoc sensu *se* usurparunt, Petrarca, Pulcius, Parinius, Leopardius, aliique.

(2) *tyranni... invidia.* V. quae annotavimus ad hymn. IV, 133.

(3) *influebat inde spiritus.* S. Augustinus, qui Orationes nonnullas sacras ad laudem S. Cypriani confecit, in Serm. cccxii haec scripsit: « erat quippe veluti tuba, qua ad prosternendum pretiosis Sanctorum mortibus diabolum Christo militantes, et devoti martyres excitabantur. » Et revera ex Martyrum Actis docemur, Sancti Episcopi summos cruciatus spectando illa Christianorum pectora adeo in martyrium incaluisse, ut omnes extremae omnia pati enixe efflagitarent.

Adpositam memorant aram fovea stetisse summa,
Lege sub hac, salis aut micam (1), iecur et suis lita-
[rent
Christicolae, aut mediae sponte inruerent in ima fossae.
Prosiluere alacres cursu rapido simul trecenti (2),
Gurgite pulvereo mersos liquor aridus voravit,
Praecipitemque globum fundo tenus implicavit imo.
Corpora candor habet, candor vehit ad superna mentes,
Candida massa dehinc dici meruit per omne sae-
[clûm (3).
Laetior interea iam Thascius (4) ob diem suorum
Sistitur indomiti proconsulis eminus furori.
Edere (5) iussus erat, quid viveret: — « Unicultor,
[inquit,

(1) *salis aut micam.* Vide sis quae in adnotatiuncula scripsi ad hymum III, in honorem Sanctae Eulaliae, v. 122.

(2) *Simul trecenti.* Christianorum numerus iniri minime potest, in quos eo tempore ultima poena est statuta. Sed non equidem fuit in Africa poëta noster, qui eorum nominibus coronam componeret lemniscatam. Igitur rectius nobis de fortibus illis martyribus dicere licebit, quod Venusinus de multis heroibus, qui ante Agamemnonem vixerunt: « omnes illacrymabiles Urgentur, ignotique longa Nocte, carent quia vate sacro. » (V. *Hor. Lyric.* IV, 9, 25). At tamen honesta de omnibus mentio occurrit in Calendario Carthaginiensi ad d. IX cal. septembres.

(3) *candida massa.* Massa latine dicitur de quacumque materia subacta et spissata. Hic per catacresim. S. Augustinus Serm. CCCVI in honorem diei natalis horum martyrum ita interpretatur: « Massa ob numeri multitudinem; candida ob causae fulgorem. » Uticae vero dies festus hic natalis dabatur. Quare Augustinus in Serm. CCCXI *massam* istiusmodi *candidam Uticensem* appellat. Cfr. BARON. ad an. CCLXI, et RVINART. in *Actis Sinc.* p. 186.

(4) *Thascius.* Praenomen fuit Cypriani, uti comparet in Actis, ubi legitur: « Thascium Cyprianum gladio animadverti placet. » — *ob diem.* scil. faustum, felicem, quo martyrium fecit.

(5) *Edere iussus erat quid viveret: unicultor, inquit.* Mirum quantum in hoc versu describendo dissentiant codd. mss. Editio Parmensis, cui innitimur, lectionem sequitur Weitzianam.

Servo salutiferi mysteria consecrata Christi. » —
Ille sub haec : « — Satis est iam criminis; ipse confitetur
Thascius : ipse Iovis fulmen negat. Expedite ferrum,
Carnifices : gladio poenam luat hostis idolorum. » —
Ille Deo meritas grates agit, et canit triumphans.
Flevit abire Christum moesta Africa : quo docente facta est
Cultior, eloquio cuius sibi docta gloriatur :
Mox tumulum lacrimans struxit, cineresque consecravit.
Desine flere bonum tantum : tenet ille regna Caeli ;
Nec minus involitat terris (1) , nec ab hoc recedit orbe:
Disserit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat.
Nec Libyae populos tantum regit : exit usque in ortum
Solis, et usque obitum; Gallos fovet, imbuit Britannos,
Praesidet Hesperiae (2), Christum serit ultimis Hiberis.
Denique doctor humi est, idem quoque martyr in supernis,
Instruit hic homines, illinc pia dona dat patronus.

Aldvs habet: *Dogmatis atque loci iussus genus edere, Cyprianus inquit.* — Giselinvs post *iussus* emendat: *gen', Christianus inquit.* Duo pariter Vaticc. *Christianus inquit,* quam lectionis varietatem plures editt. retinent.

(1) *Nec minus involitat terris* etc. Propter opera a se conscripta, in quibus post mortem docet, disserit, illuminat. Hinc S. Hieron. *De Viris illustribus* LXXVII : « Huius ingenii (scil. operum) superflum est indicem texere, quum sole clariora sint eius opera ».

(2) *praesidet Hesperiae.* Scilicet Italiae occidentali, quam *magnam* Hesperiam vocat Virg. *Aen.* I, 569. Ita dicta ab rege Hespero, vel ab hespero stella, quae sole occidente ad occasum prima omnium splendescit. Hoc item nomine gaudet Hispania, quae Horatio *ultima Hesperia* vocatur *(Lyric.* I, 36, 4). Noster Venvsinvm in mentem revocans, cecinit « ultimis Hiberis ».

HYMNVS XIV

PASSIO AGNETIS VIRGINIS

Locum indicat poëta, ubi Romae in sepulchro est condita Agnes. Quae nullis iudicis precibus ad deos colendos adacta, in fornicem urbis fuit perducta, quo virgo castissima foedius vitiaretur. Ibi a procaciore quodam adolescente prodigialiter narrat fuisse liberatam; tandem carnificis gladio laetanti animo collum obtulisse, et in caelum evolasse. Virginis ad caelum ascensum ob oculos feliciter nobis repraesentat Prudentius.

Agnês (1) sepulcrum est Romulea in domo
Fortis puellae, martyris inclitae.
Conspectu in ipso condita (2) turrium
Servat salutem Virgo Quiritium:
Nec non et ipsos protegit advenas,
Puro ac fideli pectore supplices.
Duplex corona est praestita martyri:
Intactum ab omni crimine virginal (3),
Mortis deinde gloria liberae.
Aiunt iugali vix habilem toro,
Primis in annis (4) forte puellulam
Christo calentem, fortiter impiis
Iussis renisam, quo minus idolis
Addicta, sacram desereret fidem.

(1) *Agnês sepulcrum.* Ita codd. praestantiores Heinsiani, et quos ad manus habuit Theolius, parmensis editor. Graeca positio *Agnês* est, pro latina *Agnetis;* etenim ab Ἁγνή (casta) est, quae vox in genit. facit ἁγνῆς.

(2) *Condita*, scil. sepulcro.

(3) *Virginal, alis*, et *virginale, is,* ad. n. absol. fuit vox primitus usurpata proprie a Phaedro in quadam L. IV fabula. Sequiori aetate occurrit nobis in Apvleio (*Apol.*); Solino (Polyhistoris I, 67); S. Avgvstino (*De Civit. Dei* XX, 8) aliisque. Hic ad designandam puellae castitatem et virginalem integritatem transfertur.

(4) *primis in annis.* Duodecim aut tredecim annos erat nata Agnes, uti narrant S. Ambrosius et S. Augustinus.

Tentata multis nam prius artibus,
Nunc ore blandi iudicis inlice (1),
Nunc saevientis carnificis minis
Stabat feroci robore pertinax,
Corpusque duris excruciatibus
Ultro offerebat, non renuens mori.
Tum trux tyrannus : — « Si facile est, ait,
Poenam subactis ferre doloribus,
Et vita vilis spernitur, at pudor
Carus dicatae (2) virginitatis est.
Hanc in lupanar trudere publicum
Certum est, ad aram, ni caput adplicat;
Ac de Minerva iam veniam rogat,
Quam Virgo pergit temnere virginem (3).
Omnis iuventus inruet, et novum
Ludibriorum mancipium petet.
— « Haud, inquit Agnes, immemor est ita
Christus suorum, perdat ut aureum
Nobis pudorem, nos quoque deserat.
Praesto est pudicis; nec patitur sacrae
Integritatis munera pollui.
Ferrum impiabis sanguine, si voles;
Non inquinabis membra libidine. » —
Sic elocutam, publicitus iubet
Flexu in plateae (4) sistere virginem.

(1) *ore inlice*, quod eam iudex conabatur verbis blandulis inlicere, decipere.

(2) *dicatae Deo.* Deo devotae.

(3) *Minerva.* In historia fabulari Minerva e Iovis cerebro nata, Vulcani nuptias despuit, semperque virgo permansit.

(4) *In flexu plateae*, in via urbis latiore, quae in bivium triviumque flectebatur, ubi cellae concameratae erant extructae ad feminas diebolares, secutuleias, prostrataeque pudicitiae recipiendas. Vide sis Card. Nicol. Wisemanum = *Fabiola o la Chiesa delle Catacombe* = Parte II, Cap. XXIX. pag. 479. ediz. Tip. Sales illustrata.

Stantem refugit moesta frequentia,
Aversa vultus, ne petulantius
Quisquam verendum conspiceret locum.
Intendit unus forte procaciter
Os in puellam, nec trepidat sacram
Spectare formam lumine lubrico.
En ales (1), ignis fulminis in modum,
Vibratur ardens, atque oculos ferit:
Caecus corusco lumine corruit,
Atque in plateae pulvere palpitat.
Tollunt sodales seminecem solo,
Verbîsque deflent exsequialibus (2).
Ibat triumphans virgo, Deum Patrem,
Christumque sacro carmine concinens.
Quod sub profani labe periculi
Castum lupanar nec violabile
Experta victrix virginitas foret.
Sunt qui rogatam retulerint preces
Fudisse Christo, redderet ut reo
Lucem iacenti: tum iuveni halitum
Vitae innovatum visibus integris.
Primum sed AGNES hunc habuit gradum
Caelestis aulae, mox alius datur.
Accensus (3) iram, nam furor incitat
Hostis cruenti: — « Vincor, ait gemens:
I, stringe ferrum (4) miles, et exsere

(1) *ales*, angelus alis amplioribus instructus.

(2) *exsequialibus*, ad exsequias iuvenis pertinentibus, qui mortuus credebatur.

(3) *accensus iram* Ἑλληνικῶς. — Sic legg. HEINSIVS, CHAMILLARDVS, RVINARTIVS, atque sic in codd. Vaticc. Sed in Weitzianis, uno Vatic. et altero Ruinartian. est *ascensus*, qui iis praecedentibus iungitur *mox alius datur*.

(4) *I, stringe ferrum*. — GISELINVS aliique: *Astringe ferrum*. Sed HEINSIVS emendavit: *i, stringe* etc.

Praecepta summi regia Principis. » —
Ut vidit Agnes stare trucem virum
Mucrone nudo, laetior haec ait:
— « Exsulto, talis quod potius venit
Vesanus, atrox, turbidus, armiger,
Quam si veniret languidus ac tener,
Mollisque ephebus, tinctus aromate,
Qui me pudoris funere (1) perderet.
Hic hic amator iam, fateor, placet;
Ibo inruentis gressibus obviam,
Nec demorabor vota calentia:
Ferrum in papillas omne recepero,
Pectusque ad imum vim gladii traham.
Sic, nupta Christo, transiliam poli
Omnes tenebras, aethere celsior.
Aeterne Rector, divide ianuas
Caeli, obseratas terrigenis prius,
Ac te sequentem, Christe, animam voca,
Cum virginalem, tum Patris hostiam. » —
Sic fata, Christum vertice cernuo
Supplex adorat, vulnus ut imminens
Cervix subiret prona paratius.
Ast ille tantam spem peragit manu;
Uno sub ictu nam caput amputat:
Sensum doloris mors cita praevenit.
Exutus inde spiritus emicat,
Liberque in auras exsilit. Angeli
Sepsere euntem tramite candido.
Miratur (2) orbem sub pedibus situm:

(1) *pudoris funere*. Iactura pudicitiae. V. Lucan. IV, 231.

(2) *miratur orbem* etc. Apud Virgil. in *Bucol.* V, 56. Menalca Mopso ait: « Candidus insuetum miratur limen Olympi; Sub pedibusque videt nubes et sidera Daphnis »

Spectat tenebras ardua (1) subditas,
Ridetque (2), solis quod rota circuit,
Quod mundus omnis volvit et implicat,
Rerum quod atro turbine vivitur,
Quod vana saecli mobilitas rapit;
Reges, tyrannos, imperia et gradus,
Pompasque honorum stulta tumentium:
Argenti et auri vim rabida (3) siti
Cunctis petitam per varium nefas,
Splendore multo structa habitacula:
Inlusa (4) pictae vestis inania,
Iram, timorem, vota, pericula:
Nunc triste (5) longum, nunc breve gaudium,
Livoris atri fumificas fàces,
Nigrescit unde spes hominum, et decus:
Et, quod malorum tetrius omnium est,
Gentilitatis sordida nubila.
Haec calcat Agnes, ac pede proterit;
Stans et draconis (6) calce premens caput,
Terrena mundi qui ferus omnia
Spargit venenis, mergit et inferis.

(1) *ardua*. Proprie arduus est ascensu difficilis, acclivis. Hinc altus, celsus, sublimis.

(2) *ridetque*. Giselin. habet *videtque*. Quae sol circuitu suo cingit terrestres res nulliu momenti esse Agnes cernit, atque deridet, tamquam infrase omnino positas. Hic vero haud abs re fuerit in tironum memoriam revocare, quae in libro VI *De Rep.* Cap. II et seqq. habet Tullius de Somnio Scipionis Africani.

(3) *rabida*. Vett. editt. et codices nonnulli: *rabidam*.

(4) *inlusa pictae vestis*. Vestis, in qua artifex veluti ludens multa variis coloribus et auro depinxerat. V. hymn. XI, 130; Avien. *Perieges*. 1258; et praesertim. Virg. *Geor*. II, 464.

(5) *triste*, neutrius generis, absolute pro res tristis, calamitas. V. Vinc. Lanfranchii, *Lexicon poëticum totius Linguae Latinae,* Augustae Taurinor. ex Offic. Regia an. MDCCCXC.

(6) *draconis*, daemonis, qui mortales malis artibus devios agit.

Nunc virginali perdomitus solo,
Cristas cerebri deprimit ignei,
Nec victus audet tollere verticem.
Cingit coronis interea Deus
Frontem duabus martyris innubae:
Unam decimplex edita sexies (1)
Merces perenni lumine conficit;
Centenus extat fructus in altera.
O virgo felix, o nova gloria,
Caelestis arcis nobilis incola,
Intende nostris conluvionibus (2)
Vultum gemello cum diademate:
Cui posse soli cunctiparens (3) dedit
Castum vel ipsum reddere fornicem.
Purgabor oris propitiabilis
Fulgore, nostrum si iecur impleas.
Nil non pudicum est, quod pia visere
Dignaris, almo vel pede tangere.

(1) *Unam decimplex edita sexies.* Haec verba respiciunt parabolam agricolae sementem facientis, quam legimus in Evang. S. Matthaei XIII, 1-9: atque poëta procul dubio virginitatem ad fructum sexagesimum refert, martyrium vero ad centesimum. Attamen in libro II *Contra Symmac.* v. 1059 ipsi quoque virginitati centesimus fructus assignatur.

(2) *Conluvionibus.* Vox *Colluvies*, *ei*, (aeque as *colluvio*, *onis*) sordes indicat varii generis simul confluentes, seu immunditiarum concursus. Hic ad mores trasfertur.

(3) *cunctiparens.* παντοτόκος, seu omniparens, cunctarum rerum parens; et Prudentianum appositum est.

ΠΕΡΙ ΣΤΕΦΑΝΩΝ LIBRI FINIS

ERRATA		CORRIGE
Pag 90, lin. 15. LAURENTIUS	=	LAVRENTIVS
» 138, » 34. fornicem ita stri-ctim depingitur.	=	fornix ita strictim de-pingitur.
» 139, » 11. 225	=	255.
» 161, » 23. correptam vides.	=	correptam minime vides.

AVRELII PRVDENTII CLEMENTIS
LYRICORVM
INDEX

Quo facilius possint tirones variam in versibus faciendis Prudentii rationem cum metris Horatianis conferre, ad quae identidem noster respexisse videtur, non alienum a mea industria existimavi, hic eis ante oculos subiicere quae *Victor Giselinus*, nobilis Batavorum philologus, unicuique hymno praefecit in sua hispani poëtae editione, tunc primum Lutetiae Parisiorum publicata ex officina Hieronymi De-Marnefi an. M.D.LXII. Qui tamen de metris prudentianis uberiora velit, adeat *Prolegomena in editionem Romanam Operum M. Aurelii Prudentii,* (Cap. XXVI); — quae leguntur in Tom. LIX PATROLOGIAE cursu absolutissimo, curante I.-P. MIGNE. Parisiis an. M.DCCC.XLVII.

ΚΑΘΗΜΕΡΙΝΩΝ
LIBER.

Ode est tricolos tristrophos. Primus enim versus est glyconius, constans spondaeo, choriambo et pyrrhichio; secundus asclepiadaeus, constans spondaeo, duobus choriambis et pyrrhichio; tertius choriambus, constans spondaeo, tribus choriambis et pyrrhichio, hoc modo:

— — | — ◡ ◡ — | ◡ ◡
— — | — ◡ ◡ — | — ◡ ◡ — | ◡ ◡
— — | — ◡ ◡ — | — ◡ ◡ — | — ◡ ◡ — | ◡ ◡

Monocolon est carmen, dimetrum, iambicum, archilochium, acatalecticum; recipiens locis imparibus spondaeum, et nonumquam anapaestum; paribus vero iambum, et aliquando pyrrhichium, hoc modo:

— — | ◡ — | — — | ◡ ◡

Carminis ratio eadem, quae est superioris.

Carmen alcmanium, trimetrum, hypercatalecticum, monocolon, pentastrophon; constans tribus dactylis et semipede, idest heptametro heroico, hoc modo:

— ◡ ◡ | — ◡ ◡ | — ◡ ◡ | ◡

Metrum monocolon hendecasyllabum, phalcucium; constans spondaeo, dactylo, et tribus saepe trochaeis, hoc modo:

— — | — ◡ ◡ | — ◡ | — ◡ | — ⏓

Carmen monocolon choriambicum asclepiadaeum tetrametrum acatalecticum; constans spondaeo, duobus choriambis, pyrrhichio, vel iambo, hoc modo:

— — | — ◡ ◡ — | — ◡ ◡ — | ◡ ◡

Dimetrum, iambicum, anacreonticum, catalecticum, monocolon, tetrastrophon; constans tribus pedibus et semipede. Primo enim loco habet iambum vel spondaeum promiscue, secundo iambum; tertio iambum, vel spondaeum, hoc modo:

◡ — | ◡ — | ◡ — | ◡
— — | ◡ — | — — | ◡

Carmen monocolon, iambicum, senarium, acatalecticum; locis imparibus habens spondaeum, anapaestum, iambum, tribrachum; paribus vero iambum, et nonnumquam anapaestum. Eius specimen, si voles, licebit mutuari ex illa in Ψυχομαχίαν praefatione, cuius initium est: *Senex fidelis prima credendi via est.*

VIII. — *Hymnus Post Ieiunium* . . . . *pag.* 46

Carmen sapphicum endecasyllabum; constans trochaeo, spondaeo, dactylo, et duobus trochaeis hoc modo :

— ◡ | — — | — ◡ ◡ | — ◡ | — ◡

Quartus vero quisque adonius est; constans dactylo et spondaeo, hoc modo:

— ◡ ◡ | — —

IX. — *Hymnus Omnis Horae* . . . . » 49

Carmen trochaicum, tetrametrum, monocolon, tristrophon, catalecticum. Paribus locis habet trochaeum, spondaeum, et nonnumquam anapaestum; imparibus, trochaeum, tribrachum, et dactylum, hoc modo:

— ◡ | — — | — ◡ | — — | — ◡ | — ◡ | — ◡ ◡

X. — *Hymnus In Exsequiis Defunctorum.* . » 54

Carmen monocolon, anapaesticum, dimetrum, catalecticum. Constat tribus anapaestis et syllaba, quamvis Prudentius promiscue duabus prioribus sedibus anapaesto et spondaeo utatur; tertia vero anapaesto est peculiaris, hoc modo:

◡ ◡ — | ◡ ◡ — | -

XI. — *Hymnus Octavo Calendas Ianuarias.* . » 61

Carmen iambicum, dimetrum, acatalecticum; recipiens locis imparibus spondaeum, et nonnunquam anapaestum ; paribus vero iambum, hoc modo:

— — | ◡ — | — — | ◡ ◡

XII. — *Hymnus Epiphaniae* . . . . . . » 66

Ratio carminis huius convenit cum superiore.

ΠΕΡΙ ΣΤΕΦΑΝΩΝ
LIBER.

constans semiquinario iambico, et tribus iambis, hoc modo

— ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ | — ⏑ | — ⏑
— — | ⏑ — | — — | ⏑ — | ⏑

Versus est archilochius; constans tetrametro bucolico, et tribus trochaeis, hoc modo:

— ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑ | — — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ | — ⏑ | — ⏑

Carmen alchaicum; constans penthemimere iambica, et duobus dactylis, hoc modo

— — | ⏑ — | — | — ⏑ ⏑ | — ⏑ ⏑